

000000

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu



P.C.N. 12

SQ  
T1-900



e.

8.62

BIBLIOTECA „ASTRA“  
S I B I U

# APOLOGIA

PRO

## DOMO DEI,

Quæ est Ecclesia Dei vivi,

Columna, & firmamentum

Veritatis. *1. Tim. 3. 15.*

repræsentata

Omnibus, qui Viam DEI in  
Veritate docere,

Aut discere propositum habent:

Pietati erga Matrem,

Justo erga Sponsam Christi

consecrata

à VENERABILI PATERE

## LUCA KOLICH

è Societate JESU Sacerdote,

& primo Missionario Cibinieni

Dacico.

PRAGÆ, typis Univ. Carolo-Ferd. in Coll. Soc.

JESU ad S. Clementem, Anno 1719.

~~2000~~

Anno 2710.

Inv. 193



1934

289662

Parati semper ad satisfactio-  
nem omni petenti vos ra-  
tionem de ea, quæ in vo-  
bis est, spe. 1. Pet. 3. 15.

Sed cum modestia, & timore:  
*Conscientiam habentes bo-*  
*nam.* ibid.

Veritatem tantum diligite.  
Zach. 8. 19.

Nolite zelare mortem, in er-  
rore vitæ. Sap. 1. 12.



# PRÆFATIO AD LECTOREM.

**N**E mirere, Benevole Le-  
ctor, offerri tibi opus-  
culum, mole quidem  
perexiguum, at soli-  
ditate rationum, argumentorumque  
pondere, in veritate magnum. Me-  
mineris integrum Homeri Iliadem  
uni nuci includi potuisse. De Pyrei-  
co pictore minuta licet pingente,  
refert Plinius, ea pluris venisse,  
quam maxima multorum. Gra-  
num pyrii pulveris quantitatis mo-  
dice, sed activitatis, & virtutis

magne. Ad sternendum , debel-  
landūmque Philistēum Gigantem,  
non opus erat paris altitudinis , &  
roboris Encelado quopiam, sed unius  
Isaiadis pueri volā , lapillō unicō.  
Ad confundendum potentissimum  
Babylonii Regis exercitum, vitā ex-  
turbanum Archistrategum Holo-  
fernem , non opus paribus armis ,  
turtitis Elephantum machinis , cur-  
ribusque falcatis ; unius Hebreæ  
Mulieris virtus præstítit utrumque ,  
& Holofernem vitā exuit , hostes  
obsidionem solvere adegit, antem u-  
rale Solymorum salvavit Bethuli-  
am. Sic ad extinguendam hereseon  
Hydram etiam septicipitem , fax  
una , ad confutandos pseudodogma-  
tum errores quām plurimos , ad  
convincendum , & ad agnitionem  
orthodoxæ Fidei marpesiā caute-  
duriorem Bonovillum aliquem per-

mo-

movendum, prout Thaumaturgus  
Paduanus persuasit, unicò subin-  
de solidò, ac ponderosò opus est ar-  
gumentò. Illud verò mirare, hoc  
opusculum, non inter domesticos  
parietes natum, aut ad Cleantheas  
lucernas elucubratum: verùm bel-  
li, à Viro laboribus Apostolicis obru-  
to, diurnis nocturnisque vigiliis e-  
nervato, viribus fracto, senio con-  
fecto, inter continuos Gradivi stre-  
pitus, tormentorumque boatus, ex-  
pugnationes urbium, cum hostibus  
conflictus, tam solide, tam nervo-  
sè à Venerabili Patre Luca Kolich  
concinnari potuisse. Stimulabat  
illum nimirum, assiduus animarum  
zelus, ardor heterodoxas à via veri-  
tatis aberrantes, ad rectū tramitem  
reducendi animas; unde tantò plus  
suffurabatur Morpheo, quantò lar-  
gius consuevère alii indulgere Lyæo.

Atque ut nōris Lector Benev. quis  
vir hic fuerit, quæ hominis virtus,  
compendiariam ejus vitæ, ac rerum  
ab eo præclarè gestarum narratio-  
nem hic dandam existimavi.

Fuit P. LUCAS KOLICH gente  
Moravus, patriâ Ewanczicensis. Pri-  
mâ adolescentiâ innocentissimè de-  
cursâ, & mansuetioribus literis im-  
bibitis sub finem anni 1646. Brunæ  
tirocinium vitæ Religiosæ inter So-  
cietatis Novitios auspicatus est. Hic  
cùm tironem præferret, Religiosum  
veteranum se præstítit. Jam eo ex  
tempore nullus illo in servandis exa-  
mußim regulis, & virtute colenda  
diligentior: suspiciebat præ se omnes,  
quâ erat humilitate: & unum om-  
nes admirabantur, utpote cuius mo-  
deratio animi sequioribus affectibus  
inaccessi, idem vitæ tenor nullo for-  
tuito eventu interpolatus, vita de-

mum

rum omnis citra nævos ad Dei ac  
Præpositorum voluntatem exacta,  
vulgarem vitæ Religiosæ probitatem  
longè transcendebat. Jam quâ pie-  
tate in Dêum, quâ in proximos cha-  
ritate ferretur, quâm laboris impi-  
ger, ac indefessus esset, si Dei gloria  
Ego salus proximi ageretur, longum  
esset explicare: ac vereor non ex ua-  
no, nè satius fuerit de viro tanto  
planè silere, quâm pauca nimis di-  
cere. Quis enim Apostolicum illius  
zelum, quo annos ferè 17. Castrensis  
Missionarius Belli fortia egit, Ego du-  
rissima quæque pro Deo, pro virtute,  
pro animarum salute perpessus est;  
quem unius Legionis operosa procu-  
ratio non explebat, multarum non  
fatigabat, tantillæ chartæ angustiis  
constringi abs se posse confidat? A-  
stimanda hec potius prudentibus,  
quâm à nobis singillatim denarran-

da. Pauca de plurimis adscribam.  
Consueverat Militum stationes, &  
centoria concursare, ac ægros pre-  
fertim venari, nè Sacramentis non  
provisi decederent. Si urbs vel ob-  
sideretur, vel cum hoste prælio de-  
cerneretur, tum ille se penetrare in  
fossas, ad loca periculi plena accur-  
rere, & nulli non animam agenti,  
quoad posset, adesse. Caderent licet  
utroque ex latere hostilibus glandi-  
bus prostrati commilitones, deborta-  
rentur licet ipsi milites, Luca nostro  
eiusmodi discrimina non terriculo,  
sed excitamento fuere: adeò non cu-  
rabat corpus, cùm animas procura-  
ret. Charitas P. Luca in milites ægros,  
usque ad sui odium. Sibi namque  
eam legem dixerat, ut nisi Generalis  
sui mensæ ad biberetur, panis illi o-  
psonium, vile legumē convivium, &  
ipsa penè abstinentia refectio esset:

quò

quò omne propè stipendium suum ex-  
grotis curandis expenderet. Quis  
vel summa rerum capita enumeret?  
Virtutes Viri laus & commendatio in-  
signis consecuta est. Hinc passim à  
Cæsareis militiae strategis, ipsoque  
Serenissimo Duce Lotharingiaæ Ca-  
rolo, vitâ seculorum dignissimo,  
sui neglector, & Missionarius Ca-  
strensis Sanctus citra controversi-  
am pronuntiabatur. Legionis, cui  
spiritualibus erat ab obsequiis,  
Excellentissimus D. Generalis Co-  
mes Sereni, non aliter, quàm An-  
gelum suum Tutelarem compella-  
bat, & plenū se solatio è vita discessu-  
rum, ajebat si eum morti sua habe-  
ret adstitem. Nec ille solum, sed  
plerique omnes aliarum etiam Le-  
gionum Officiales, quibus Venera-  
bilis Patris Luca virtus cognita, &  
impensa agonizantibus cura inde-  
fessus

fessa, millies exoptabant. Jam ad postremum Apostolicorum laborum biennium (et si illud non omnino integrum) descendō. Anno 1588. Societatem IESU ē Transilvania proscripterat hæresis, anno sœculari 1688. occupatā à Cæsare Transilvaniā eidem Societati æterni exiliū pœna relaxata est. Tum Cibinum Saxonice in Dacia Nationis Metropolis Legionis Serenianæ præsidio in sessum, Patri Lucae laboris campus fuit. Nullum adveniens reperit Catholicum, si mulierem civem unicam excipias: exiens ē vita reliquit 54. quos varias sectas dedocuerat. Ad hæc aliaque animarum lucra, linguarum Latinæ, Bohemicæ, Germanicæ, Italicæ, Græcæ ac Hebraicæ notitiam præclaram sibi comparaverat. Cibini prima cura fuit oratorium ristu Catholico eleganter adornare. Deinde nunquam interrupto labore Catholicos, & confertim affluentes hæreticos, concionibus, catechesibus, sacris spectaculis, pietatis orthodoxæ exercitationibus attraxit, erudiit, incendit: Juventuti instituendæ ludū aperuit: Sacra menta Catholicis ministrayit; omnia demum

demum omnibus factus est : solus Cibini Sa-  
cerdos, malè licet affectâ valetudine, exhaui-  
stus viribus, ætate gravis, solus tot laboribus  
par. Est iterum quod mireris, illudque ad-  
modum rarum, Venerabilem Patrem Lucam,  
suavi suô agendi modô, etiam heterodoxis  
fuisse longè charissimum, summâque in ve-  
neratione, ut non paucis prolium suarum  
frontem signo S. Crucis ab eo signari disipli-  
cuerit minime. Unde factum, ut post pium  
Patris obitum succedentibus annis Missiona-  
rios Patres nostros è domibus profilentes in  
plateas, in clamarent : Pater Lucas, fac  
nobis crucas ; cruces dicere polebant.  
Quantò honore prosecutus fit illum Vir Erudi-  
tissimus, & à typis mandato de Saxonum in  
Daciam ingressu libro celebratissimus Dominus  
de Franckenstein, celeberrimæ Urbis Cibini-  
ensis Consul, Inclytæ Nationis Saxonicae Co-  
mes, probè novi, qui illum simili pannô, quo  
se, quotannis vestiebat, rebûisque necessariis  
adjuvabat frequenter. Quotiescumque hunc  
accessimus, dum de eo sermo fieret, non nisi  
honorificentissime, utut diverse Religionis, ad-  
nostram

nostrum ruborem , sed consolationem , ma-  
gnamque Societatis nostrae commendationem  
laquebatur in summas defuncti laudes ex-  
currendo. Inde factum, ut non tantum sin-  
gulari militiae pompâ, sed & totius Amplissi-  
mi Magistratus præsentia, numerosaque ur-  
bis comitivâ, fideliumque lacrymis fuerit  
tumulo illatus. Colebant scilicet Sacerdo-  
tem Catholicum, qui Catholicam Religionem  
colebant : Amabant illustri virtutum splen-  
dore perstricti veri præconem, etiam qui ve-  
ritatem oderant : sanctum , Dei amicum , &  
sine dubio à morte salvum ipsi hæretici præ-  
dicabant. Illam obiit anno 1690. die 20.  
Aprilis , anno ætatis suæ 63. initæ Societa-  
tis 44. Virtutes V. Patris qui fusiùs de-  
scriptas voles , adi Mathiæ Tanneri Socie-  
tatem JESU Apostolorum imita-  
tricem. Hoc demum anno ad nos per-  
lata est pretiosa hæreditas , Apologia ,  
apro , pro Domo Dei : quam tecum  
Benev. Lector communicamus.

Utere & vale.



APO-



APOLOGIÆ  
 PRO  
 DOMO DEI  
 TRACTATUS I.  
 PARS PRIOR.

De reformatione Ecclesiæ.

[*Prologus Reformationis.*]

**S**UNT qui Reformatores dici volunt, velut Apostoli à DEO excitati, quorum ministerio à fundamentis reædificanda fuerit, collapsa, & funditus eversa Ecclesia; qui lucernam sub modium detrusam, in Ægyptiacis tenebris delitescentem reaccenderent, & super candelabrum

A re.

reponerent : quorum præconio Eu-  
angeli prædicatio , Pastorum Eccle-  
siæ tum imperitiâ, tum cessatione ad-  
ulterata , & omnino corrupta , nati-  
væ puritati restitueretur : Christia-  
nismus denique, qui arte satanæ pes-  
sumdatus, sepultus , multis seculis in-  
cognitus evanueret , istorum operâ  
denuo orbi innotesceret. Ex istis

QUÆRITUR I. An eo modo refor-  
maverint universalē illam quam cor-  
de credimus , & ore confitemur San-  
ctam Ecclesiam Catholicam, de qua  
divinæ prostant in utroque testa-  
mento promissiones. Ose. c. 2. v. 19.  
& 20. Sponsabo te mihi in sempiternum in  
justitia , & iudicio , & in misericordia : &  
sponsabo te mihi in fide. Item Isa. c. 59.  
v. 20. 21. Cùm venerit sion redemptor ;  
hoc fœdus meum cum eis , dicit Dominus :  
spiritu meus , qui est in te , & verba mea ,  
quæ posui in ore tuo , & de ore seminis tui ,  
amodò & usque in sempiternam. Et Ps. 47.

v.9. Deus fundavit eam in æternum. Item  
45. v. 5. & 6. Sanctificavit tabernaculum  
suum Altissimus, Deus in medio ejus non com-  
movebitur. Cui Christus perennem su-  
am adjunxit præsentiam, Matt. 28. 20.  
Copulavit Spiritum S. omnis verita-  
tis Doctorem. Joh. 16. 13. qui maneat  
cum ipsa in æternum. c. 14. 16. Quæ  
idcirco (ut docet Institutio lib. 4. c. 1.  
§. 10.) vocatur ab Apostolo *Columna,*  
*& firmamentum veritatis.* I. Tim. 3. v. 15.  
quibus significat Paulus, nè interci-  
dat veritas Dei in mundo, Ecclesiam  
esse fidam ejus custodem; quia ejus  
ministerio, & operâ voluit Deus pu-  
ram Verbi sui prædicationem conser-  
vari, quæ nunquam nisi in veritatem  
Verbi consentit, & nihil pronuntiat  
nisi ex Verbo. Et §. 1. &c. Quæ Mater  
nobis constituitur, quatenus ministe-  
riū sacrum apud eam depositum Domi-  
nus, quod nobis abundè. In cuius sinu  
dum continemur, veritatem semper

**4 Tract. I. Ven. P. Lucæ Kolich**

nobis constatarum securi sumus. De qua profitentur unanimi sententiâ reformatæ Confessiones : Augustana Artic. VII. Quod una S. Ecclesia perpetuò mansura sit, in qua Euangeliū rectè docetur, & administrantur Sacra menta. Helvetica Cap. XVII. oportere omnino semper fuisse, nunc esse, & ad finem usque mundi futuram Ecclesiam, cœtum Fidelium, qui Deum verum, in Christo Servatore, per Verbum & Spiritum S. verè agnoscunt, & ritè colunt. De quibus omnino intelligendus sit symboli articulus, Credo S. Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. Et Synod. Dordrecht. Art. XVII. Ecclesiam Catholicam ab initio mundi fuisse, & usque ad ejus finem perduratram; quod Christus æternus Rex sit, & sine subditis esse nequeat. Hanc taliter formatam firmatamque Ecclesiam nulli reformationi obnoxiam fieri

fieri posse quisque videt , qui aliquid fide videt.

QUÆRENDUM itaque II. de particuliari quæpiam Ecclesia, quam reformataverint. Nominent Ecclesiam illam. Tum exprimant distinctè fidei articulos , aut præcipuum quoddam dogma religionis , in quo particularis illa Ecclesia desciverit ab universali , & ideo necessariò utique reformatanda fuerit. Specificent item defectionis tempus , seculum , annum , personas ; quæ omnia in aliis hæresibus, & schismatibus exhibere promptum est.

QUÆRENDUM III. An ad defectionem illam omnia Ecclesiæ præcipua membra conticuerint ? sin contradixerunt ; quinam illi fuerint Ecclesiæ Doctores, & Pastores ? Item , an Synodus quæpiam coacta , ubi judicio habito , apostatatrix illa Ecclesia , per publicam sententiam condemnata excommunicatâque sit ? Quæ-

QUÆRENDUM IV. Quinam illi fuerint Ecclesiæ reformatores ? exprimantur eorum nomina : tum, an ii ad hunc solennem reformationis annum commissionem ab Ecclesia accepterint ? vel ab ejus præcipuis membris ? vel ab ipsomet Deo missionem fortiti sint ? *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur ? Rom. 10. 15.* An verò ministerii opus propriâ authoritate aggressi ? de quibus Jere. 23. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.* Nec quisquam sumit sibi honorem , sed qui vocatur à Deo. Hebr. 5. v. 4. Instituatur examen Missionis ad Regulam à Luthero traditam. Tom. 2. Jen. in epist. ad Senatum Milhusi. Senatus, inquit, examinet novum ejusmodi prædicatorem , à quo missus sit ad prædicandum ? exhibeat signatas testes literas. *Quod si à Deo missum instar Apostolorum dicat ; demonstret id signis & miraculis :* aut à prædicando  
arcea-

arceatur. Proferant Reformatores illi signa Apostolatūs. 2. Cor. 12. v.12. producant argumentum aliquod validum , sibi propriū , quo demonstrent, ipsis peculiariter hoc reformati munus competere præ reliquis competitoribus , & antagonistis, qui sive ante ipsos reformare cœperunt , sive unā cum ipsis , sive posterioriis reformarunt ; sicque evincant, suam potissimum reformationē amplectendam esse. Sed illud tale sit, quo nequeant uti eorum adversarii.

Et quidem speciatim satisfaciant Lutheranis expositulantibus , eccur desertā Lutheri reformatione, separaverint se ab Euangelica ipsius Ecclesia, novūmq; segregatum cōtum sibi formaverint? Certè Calvinus de Lutheri apostolatu profitetur lib.1.cōtra Albert. Pighi de lib. arbitr. Non dissimulanter, inquit, fatemur, eum nos habere pro insigni Christi Apostolo,

8 *Tract. I. Ven. P. Luca Kolich*

cujus maximè operâ, & ministerio restituta hoc tempore fuit Euangelii puritas. Et alibi: Ex Ecclesia, inquit, Wittembergensi fluxit hac nostra ætate Euangelium. Eundem Beza (in Viror. illust. icon.) prædicat Euangelicæ lucis flammæ è densissimis tenebris sensim proferendæ præconem à D. O. M. humani generis miserto excitatum, & ad repurgandum Dei templum evocatum esse, &c.

Cur ergo Prophetam Θεόπεμπλον repudiârunt? alienos audiérunt? adversariis ejus, Carolstadio, Zwinglio, Oecolampadio adhæserunt? Cur à matrice Euangelii, & fonte Wittembergensi Ecclesia desciverunt? Tanti Ecclesiæ suæ communionem facit Deus ( docet Instit. l. 4. c. 1. §. 10. ) ut pro transfuga & desertore religionis habeat quicunque se ab ejus societate contumaciter alienârit. Unde sequitur, discessionem ab Ecclesia,  
Dei

Dei & Christi abnegationem esse. Quò magis à tam scelerato dissidio cavendum est ; quia cùm veritatis Dei ruinam , quantum in nobis est molimur , digni sumus , ad quos conterendos toto iræ suæ impetu fulminet. Nec ullum atrocius crimen fingi potest, quàm sacrilegâ perfidiâ violare conjugium, quod nobiscum unigenitus Dei Filius contrahere dignatus est. Talia Institutio. Quid ad ea Reformati ?

TANDEM QUÆRITUR. An particularis illa ab ipsis reformata Ecclesia conjunxerit se , ut membrum , cum mystico suo corpore universalis Ecclesia ? an verò separata remanserit ? Divisum à corpore membrum vivere *αἰδωτον*. Communionem cum vera Dei Ecclesia tanti facimus (Helvet. Conf. c. XVII.) ut negemus eos coram Deo vivere posse , qui cum ea non communicant,&c. Aut ubi unio

10 Tract. I. Ven. P. Luce Kolich  
illa, & consociatio facta est? cum quibusnam Ecclesiae membris! Item an illam reformationem Ecclesia Catholica ut legitimam, verbique Dei conformem approbaverit?

[*Epilogus Reformationis.*] 10

**S**Emper fuit in mundo formata, suaque formâ praedita Ecclesia; ergo nunquam in mundo locum habuit *reformatio*, id est deformatæ aliquando Ecclesiae ad pristinâ formam reduc[t]io.

Nunquam possibile fuit perire, & evanescere ex orbe verâ Christi Ecclesiâ. Ergo nunquam possibilis fuit ejus *reformatio*, id est, perditæ ex orbe veræ Christi Ecclesiae redhibitio.

Qui prætendit, se reddere formam rei cuiquam, quæ nunquam perdere nativam suam formam potuit; is deformat omnino rem illam, non reformat. At moderni reformatores prætendunt, se reddere formam

Ec-

Ecclesiæ, quæ nunquam perdere nativam suam formam potuit. Ergo ipsi deformant omnino Ecclesiam, non reformat. Non *reformationem* Ecclesiæ, sed *conformationem* cum Ecclesia præcepit Dominus Matth. 18. v. 17. *Si Ecclesiam, inquit, non audierit, sibi sicut Ethnicus & publicanus.* Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est. Ultra vires tuas est negotium. Exod. 18. v. 17.

## PARS POSTERIOR.

### *Hypotheses de Christi Ecclesia.*

**E**st Regnum æternum, quod alteri populo non tradetur. Dan. 2. v. 44. Cui nè quidem inferorum portæ prævaleant. Matth. 16. v. 18. Regnum omnium seculorum, & dominatio ejus in omni generatione. Ps. 144. v. 13 quòd Christus Rex sit æternus, & sinè subditis esse nequeat. Ideo portæ ejus jugi-

ter apertæ, die ac nocte non clauden-  
tur : ut afferatur ad eam fortitudo  
Gentium, & Reges earum adducan-  
tur. Isai. 60. v. 11. Super ejus muros  
constituti custodes, totâ die , & totâ  
nocte in perpetuum non tacebunt.  
c.62. v.6. Cui Dominus dedit Pasto-  
res , & Doctores , in opus ministerii,  
in ædificationem Corporis Christi :  
donec occurramus omnes in unita-  
tem fidei. Eph.4. v. 11. & 12. De cu-  
jus ore spiritus Dei & verba non re-  
cedent in sempiternum. Isai. 59. v.20.  
& 21. Civitas super montem posita,  
quæ abscondi non potest. Matth. 5. v.  
14. Cujus Lucerna nequaquam sub  
modium ponitur , sed super candelabrum ; ut luceat omnibus, qui in do-  
mo sunt. v.15. & qui ingrediuntur,  
videant lumen. Luc. 8. v. 16. Lucifer-  
na enim pedibus meis verbum tuum,  
& lumen semitis meis. Ps. 118. v.105.  
Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.  
Ps.86. v. 3.

An-

## Antitheses de Reformata Ecclesia.

**Q**uod diu incognita; sepultaque latuit, humanæ impietatis crimen est. Calvinus in præfat. ad suam Institutionem.

Arte satanæ factum est, ut pura verbi prædicatio aliquot seculis evanuerit. Institutio lib. 4. c. 1. §. II.

Notum est, Christianismum adulteratum & corruptum fuisse, Pastorum tum cessatione, tum imperitiâ. Calvin. in epist. 193.

Ecclesia omnino corrupta fuit. Idē in brevi admon. Catechismo præfixa. Ex his utriusqæ Ecclesiæ antitheticis elogiis demonstratio fluit:

Ecclesia, & prædicatio, quæ multis seculis humanæ impietatis criminis incognita, sepultaque latere, arte satanæ opprimi & evanescere, Pastorum tum cessatione, tum imperitiâ adulterari & corrumphi potuit,  
Dei

14 Tract. I. Ven. P. Lucæ Kolich

Dei Ecclesia, & prædicatio esse nequit.

At Reformatorum Ecclesia, & prædictio taliter adulterari, corrumpi, incognita sepultaque latere, & evanescere potuit.

Ergo Dei esse nequit.

Quale est autem ( expositulat Erasmus in epist. ad Vulturium ) quod exigitis? ut credamus, Ecclesiam annis 1400. caruisse Christo; sed sponso stertente, sponsam pro Deo coluisse larvas, & idola: in sacris litteris enarrandis fuisse prorsus cæcam: miracula Sanctorum nihil aliud fuisse, quam præstigias dæmonum. Quis unquam Prophetes prædixit hoc futurum, ut totus orbis ignoraret Christum ab Apostolis prædicatum, ac pro Deo coleret idola? tum quotquot in Apostolorum vicem successerant, excæcati nihil viderent in sacris litteris: deinde post 1300. annos à nescio quibus novis Euangelistis ad veritatis cognitionem revocaretur? Nodus Gordius.

Or-

## Orthodoxa Confessio de Ve- tere Romana Ecclesia.

Ecclesia Romana tempore Cypriani, Optati, Augustini &c. sicut fundata est ab Apostolis, ita in Apostolorum doctrina pura permanxit. Doctrinam Apostolicam perpetuâ successione tenebat. Wittaker. de Ecclesia. Ivellus in Repl. f. 246. Tam Augustinus, quām cæteri Patres meritò Sedi Romanæ reverentiam exhibuerunt ob religionis puritatem, quæ ibi sinè macula longo tempore conservata est. Tum f. 628. Sancti Patres ad Ecclesiam configurerunt, quæ religionis integritate, & constantiâ cæteris longè eminebat. Calvin. lib. 4. Inst. c. 2. §. 2. disputans de Pontificum Rom. successione, hæc §. 3. fatetur. Sed quum extra controversiam esset, nihil à principio usque ad illam ætatem (puta Augustini)

ni) mutatum fuisse in doctrina ; sed ab ipsis usque Apostolis constanter, & unanimi consensu retentam. At luculentissimè Hieron. Zanchius tom. 3. de Relig. Christ. in epist. dedic. ad Ulyssem Martineng. Romana , inquit , Ecclesia fuit olim , & ab antiquis temporibus , propter summam suæ pietatis, cœlestis doctrinæ , divini cultus , Christianæ disciplinæ , constantiæ in fide adversus hæreticos splendorem celeberrima : ac sicut sol in cœlo omnibus stellis, sic illa omnibus in terra Ecclesiis, suo illo eximiæ pietatis Christianæ exemplo præluxit ; atque ita præluxit , ut Mater omnium Ecclesiarum non prorsus immerito passim fuerit appellata.

### Parallelæ modernæ , & Veteris Romanæ Ecclesiæ.

**M**oderna est cum Vetere illa Orthodoxa Apostolica , quoad fidei

fidei articulos & religionis dogmata una eadémque , neque ab ea in aliquo descivit. Multis hæc assertio demonstrationibus palam fieri potest:

I. Enumeratione controversorum articulorum , & dogmatum fidei , in quibus defectionis crimen objiciunt ; & quorum causâ Romanam deseruerint Ecclesiam. Agedum vel in unico tali articulo dissensum exhibent : & manus, herbámque dabimus.

II. Demonstratur idem partium temporis enumeratione. Usque ad Augustini ætatem nihil in Apostolica doctrina mutatum fuisse in Rom. Ecclesia , sed constanter retentam religionis puritatem , ipsimet prædicant Reformatores. Indè usque ad S.Gregorii tempora fluxere anni 160. Intercessit hoc medio tempore S.Leo Papa , cum quo tota Ecclesia arctissimè conjuncta fuit, ut patet ex Concilio Chalced. Nec potest ullus arti-  
culus

culus ostendi ad fidem pertinens , quem ille de novo introduxerit. Tum sub Felice IV. Justinianus Imperator sedi Apostolicæ addictissimus , & tota Ecclesia in ejus communione. Tandem Gregorius ille Magnus , quem Calvinus ipse pro Sancto habet, veróque Ecclesiæ Romanæ Episcopo. A tempore S.Gregorii usque ad Leonem X. quando emersit reformatio, nihil in fidei doctrina mutatum accusant.

Constat idipsum III. adversariorum ultronea confessione: qui in singulis Centuriis testificantur, hodier næ Ecclesiæ Romanæ dogmata jam tunc viguisse primis illis seculis, quæ felicia, orthodoxa , & Apostolica appellant; illa tamen in orthodoxis illis Patribus nævos appellant, in hodier næ hæreses, sacrilegia, idololatrias. Compendiō Wittakerus qu. 5. de Eccles. c. 7. Verum est, inquit, quod Cal-

Calvinus ait, & qui Centurias scripsierunt, in multis erratum esse à Vetera Ecclesia: ut de limbo, de libero arbitrio, de operum meritis &c. puta Cœnæ Dominicæ sacrificio, Sanctorum cultu, & invocatione, de reliquiis, de Purgatorio, &c. De quibus unam eandemque sententiam hodiernæ & Veteris Ecclesiæ esse fatentur adversarii.

*Quæ autem sibi congruunt, æqualia sunt.*  
Et: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

*Antiqua Romana congruit, eadēmque est cum Apostolica Ecclesia. Moderna Romana congruit, eadēmque est cum Romana Vetera.*

*Ergo congruit, eadēmque est cum Apostolica.*

IV. Oportet omnino semper fuisse, esse, & fore in mundo Ecclesiam, coetum Fidelium, apud quos pura Euangelij doctrina, & rectus Sacramentorum usus inveniatur. Igitur ante Lutheri etiam tempora, & indepen-

dependenter ab ulla reformatione oportebat existere, & extitit talis vera Ecclesia. Erant tunc temporis Ecclesiæ : Romana quidem per totum terrarum orbem diffusa : indè Græcæ, Ruthenicæ, Æthiopicæ, Abyssinorum, Waldensium, Hussitarum, & illa recèns nata Lutheranorum. Aliquam harum omnino oportet veram fuisse. Si ea non fuit Pontificia, aliam assignent, cui sese reformati, tanquam meliori sociârunt. A Romana discesserunt ad Lutheranam : sed neque in hac perseverârunt. An fortè illa Waldensium Fratum Ecclesia fuit ? Contrarium protestatur Calvinus in epistola 298. ad illos ipsos scripta ; ubi candidè eis denuntiat, Confessionis ipsorum formulam non posse absq; periculo recipi. Confessio autem Waldensium Bohemica in artic. XIII. qui est de Coena Domini, nominat fanaticos spiritus, qui in  
Ver-

Verbis Christi non manentes , verum corpus Christi , & verum sanguinem in Coena Domini esse pernegant ; quique propter Coenæ Dominicæ fidem & Confessionem , Waldenses Papismi feces , ac bestiæ charætere signatos , idololatras , antichristos , nec non meretricem illam , aliisque graviorib. nominibus appellant . ut queritur Confessio . Ubi ergo Reformatorum Ecclesia in universo terrarum orbe reperibilis uspiam fuit ? aut quæ alia ex omnib. Ecclesiis vera fuit , si Romana Pontificia non fuit ?

V. Denique demonstratur veritas Pontificiæ Ecclesiæ ipsis operibus . Non enim in sermone est Regnum Dei , sed in virtute . I. Cor. 4. v. 20. Ostende mihi fidem tuam sine operibus : & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam . Jac. 2. v. 18. Fidei opus & ἔργα εἰς est reportare salutem animarum . I. Pet. 1. v. 9.

*Religio, & Ecclesia, in cuius communione, &  
doctrina constat multos reportasse finem  
fidei salutem animarum, salvifica est.*

*In Religionis & Ecclesiæ Pontificiæ commu-  
nione & doctrina constat multos reportâ-  
se finem fidei salutem animarum.*

*Igitur ipsa salvifica est.*

Major luce suâ claret. Minorem  
probant adversarii, qui sanctos esse  
Romanæ Ecclesiæ fatentur. Ma-  
gnum illum Gregorium Calvinus  
pro sancto habet, quem Romanæ Ec-  
clesiæ verum Episcopum agnoscit.  
S. Bernardum Centuriatores depin-  
gunt omnium Christianarum virtu-  
tum genere eximiè ornatum, mira-  
culisque divinis plurimis approba-  
tum. Eundem acerrimum Romanæ  
sedis propugnatorem, Monachorum,  
Monasteriorum propagatorem, Mis-  
sam ad novissimum vitæ articulum  
coluisse fatentur. Centur. XIII. c. 10.  
col. 1632. 1636. Similiter S. Malachiā  
mi-

miraculis, & virtutibus omnibus clariſſe, ita ut nihil effet, quod in illo aliquem offendere posset. Quem Pontificium, & Pontificis Legatum agnoscunt, Monachum & Missificatorem appellant. col. 1589. 1594. Idem de Dominico, Francisco, Bonaventura, plurimisque decimo itidem per singulas Centurias capite confiteri coguntur. Similiter Index Chronologicus Abrahami Bucholzeri plurimos recenset tum Reges tum Episcopos, heroës, ac heroinas, qui illustres sanctitate in Romanæ Ecclesiæ communione & institutione posterioribus seculis effulseré.

Non est arbor mala, faciens fructum bonum. Luc. 6. v. 43. Ipsa opera, quæ ego facio, ait Christus, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Joan. 5. v. 36. Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei,

24 Tract. I. Ven. P. Lucæ Kolich  
mei, hæc testimonium perhibent de  
me &c. Joan. c. 10. v. 25. Si non fa-  
cio opera Patris mei, nolite crede-  
re mihi : si autem facio &c. v. 37.  
& 38. Si ex fructu arbor cognos-  
citur, ut docet Veritas Matthæi 12.  
v. 33. sequitur quod

Arbor faciens fructum bonum,  
non est mala. Luc. 6. v. 43.

Pontificia Ecclesia est arbor faci-  
ens fructum bonum (adversariis ipsis  
testantibus.)

Ergo ea non est mala.

Item. Omnis arbor bonos fructus faciens,  
bona est. Matth. 7. v. 17.

Pontificia Ecclesia est arbor fructus bonos  
faciens.

Ergo ipsa bona est. Quod erat demon-  
strandum.

Multa sunt (gloriatur glorio-  
sus Augustinus contr. epist. Manich.  
c. 4.) quaæ in Catholicæ Ecclesiæ gre-  
mio

mio me justissimè teneant ; Tenet consensio populorum , atque Gentium : tenet authoritas miraculis inchoata , spe nutrita , charitate aucta , vetustate firmata : tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli , cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit , usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum : tenet postremò ipsum Catholicæ nomen ; quod non sine causa , inter tam multas hæreses sic ista (Romana) Ecclesia sola obtinuit , ut , cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint , quærenti tamen peregrino alicui , ubi ad Catholicam conveniatur , nullus hæretorum vel basilicam suam , vel domum audeat ostendere . Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula regi hominem tenent credentem in Catholicæ Ecclesia . Apud vos verò ubi nihil horum est , quod me invitet aut reueat , sola personat veritatis pollicitatio ; quæ si tantummodo promittitur , & non exhibetur , nemō me movebit ab ea fide , quæ animum me-

26 Tract. I. Ven. P. Lucae Kolich  
um tot, & tantis nexibus Christianæ Religio-  
ni adstringit. Hæc Augustinus.

S. Hieronymus (quo virō nihil ha-  
bet orbis Latinus vel doctius , vel  
sanctius, ut loquitur Erasmus in Præ-  
fat. Hilar. de Trin.) in epistola ad Da-  
masum Papam : Ego, inquit, nullum pri-  
mum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ,  
id est , Cathedræ Petri communione conso-  
cior : super illam petram ædificatam Eccle-  
siam scio. Quicunque extra hanc domum  
Agnum comedenter , profanus est. Si quis  
in arca Noë non fuerit , peribit , regnan-  
te diluvio - - - Quicunque tecum non  
colligit , spargit : hoc est , qui Christi non est ,  
Antichristi est.

S. Ambrosius in 1. ad Tim. 3. v. 15.  
Cùm totus mundus , inquit, sit Dei,  
tamen ejus domus Ecclesia dicitur,  
cujus Rector est Damasus.

Ad hanc enim Ecclesiam necesse  
est omnem convenire Ecclesiam, hoc  
est , qui sunt undique fideles. Præcisè  
denuntiat S. Irenæus, lib. 3. v. 3.

Denique Lutherus de Pontificia Ecclesia: Nos fatemur, inquit, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum; atque etiam illinc ad nos devenisse; quippe fatemur, in Papatu veram esse Sacram Scripturam, verum baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, Catechismum, ut est oratio Dominica, 10. præcepta, articuli fidei. Dico insuper sub Papatu veram esse Christianitatem, imò verum nucleus Christianitatis. Tom. 2. Witt. Lat. An. 1551. 581.

## Necessaria Reformationis Reformatio.

*Audi verba mea, atque consilia, &  
erit Deus tecum:*

**U**T fias salutariter reformatus, fac sis Ecclesiæ Catholicæ conformatus,


28 Tr. I.V.P. Luce & Kolicb Apol. &c.  
matus. A Domino dictum est, Ubi tu stas,  
terra sancta est, & hic sta mecum; hoc est,  
mecum stas, si stes in Ecclesia; ipse enim locus  
est sanctus, ipsa terra fœcunda sanctitatis. —  
Sta ergo in Ecclesia, sta ubi tibi apparui;  
— ibi firma statio tuæ mentis est, ibi fun-  
damentum animi tui. S. Ambr. l. 3. ep. 25.

Ipsa autem veritas (Joan. 10. v. 16.)  
Et alias, inquit, oves habeo, quæ non sunt  
ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, &  
vocem meam audient. Vox Pastoris est,  
quam (Joan. 21. v. 15.) dicit Simoni  
Petro JESUS: PASCE AGNOS MEOS.  
Dicit ei iterum: PASCE AGNOS MEOS.

Dicit ei tertio: PASCE OVES MEAS.

Hanc Pastoris vocem audiant oves:  
Et fiet unum ovile, & unus Pastor.

AMEN DOMINE.



VENERABILIS PATRIS  
LUCÆ KOLICH  
è SOCIETATE JESU  
**APOLOGIÆ**  
**PRO DOMO DEI**  
*TRACTATUS ALTER.*

Quo demonstratur,  
Hodiernæ

**ECCLESIÆ ROMANÆ**  
doctrinam eandem esse

Cum Apostolica Veteris  
Ecclesiæ doctrina :

*ac proinde*

Verè orthodoxam & Apo-  
stolicam esse

**ROMANAM ECCLESIAM;**

*è contrario verò*

Doctrinam & Ecclesiam Refor-  
matorum, à Veteri Apostolica veré-  
que Catholica Ecclesia ejusque doctrina  
longissimè abire.

## Isai. 2. Miche. 4.

Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium: & elevabitur super omnes colles: & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos vias suas: & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem.

## Isai. 30. 20.

Et non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea; & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

## Jerem. 6. 16.

Hæc dicit Dominus, State super vias, & videte: & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona: & ambulate in ea; & invenietis refrigerium animabus vestris.

(31)

# VIA, VERITAS, ET VITA

*Christiano Candido Lectori  
repræsentata.*



Ulla inquam res Christiane Lector, in deliberationē gravior venire potest, quām quæ suscipitur de mediis opportunis, aut necessariis salutis æternæ cōsequendæ. Peregrini sumus super terram, & peregrinamur à Domino, inquirentes patriam meliorem. Viatori verò ut nihil æquè est necessarium, ac Via, ità perniciosius nihil errore viæ.

Si aberrat à via peregrinatio nostra, totâ erramus, & excidimus cœlô. Unica interim est

duntaxat nobis Via, devia autem  
innumera; quoniam multi sedu-  
ctores exierunt in mundum. 2.  
Joan. 7.

Porrò unum est necessarium.  
Itaque multi dicunt, Quis vide-  
re faciet nos bonum illud? Eleva  
super nos lucem vultus tui Do-  
mine. Hebr. Ps. 4. Deus miserear-  
tur nostri; illuminet vultum su-  
um super nos, ut cognoscamus  
in terra viam tuam. Ps. 66. Pro-  
ba me Deus, & scito cor meum;  
interroga me, & cognosce semi-  
tas meas; & vide, si via iniquita-  
tis in me est, & deduc me in via  
æterna. Ps. 139.

Audi fili mi, & esto sapiens, &  
dirige in viam animum tuum.  
Prov. 23. 19. Sapientia est, intel-  
lige-

ligere viam suam : & impudencia stultorum errans. ibid. 14. 8.

Est via , quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem. vers. 12. Intelligere faciam te , & docebo te viam , per quam ambules: consulam tibi oculo meo,&c. Ps. 32. Hebr.

Hæc dicit Dominus : State super vias , & videte ; & interrogate de semitis antiquis , quæ sit via bona , & ambulate in ea , & invenietis refrigerium animabus vestris. Jerem. 6. v. 16.

Sequamur , agendum , Deum hortantem. Investigemus Vi- am Vitæ. En geminam præfert facem reformatio.

*DEO Opt. Max. Auspice ,  
Veritate Duce.*

## Fax, sive Veritas I.

*Primum ad salutem necessari-  
um est Ecclesia : & extra Eccle-  
siam nulla salus est speranda.*

 Tà luculentè docet, & ner-  
vosè inculcat. Reforma-  
tæ religionis Institutio lib.  
4.c. 1. §. 4. Quia, inquit,  
nunc de visibili Ecclesia differere  
propositum est ; discamus vel unico  
Matri elogio , quām utilis sit nobis  
ejus cognitio, imò necessaria : quan-  
do non alius est ad vitam ingressus , nisi  
nos ipsa concipiat in utero , nisi pa-  
riat, nisi nos alat suis uberibus ; deni-  
que sub custodia, & gubernatione sua  
nos teneat, donec exuti carne &c. Adde  
quodd extra ejus gremium nulla est speranda  
peccatorum remissio , nec ulla salus. Te-  
ste Jesai. 37. 32. & Joël. 2. 32. quibus  
subscribit Ezech. 13. 9.

Et

Et §. 10. Tanti Ecclesiæ suæ communionem facit Dominus, ut pro transfuga, & desertore religionis habeat, quicunque se ab ejus societate contumaciter alienârit ; sic ejus auctoritatem commendat, ut dum illa violatur, suam ipsius imminutam censeat. Neque parvi momenti est, quòd vocatur columna, & firmamentum veritatis, I. Tim. 3. 15. quòd electa, & segregata dicitur à Christo in Sponsam, Corpus & plenitudo ejus. Ephes. 5. 27. & 1. 23. Unde sequitur, discessionem ab Ecclesia, Dei & Christi abnegationem esse. Quò magis à tam scelerato dissidio caverendum est; quia dum veritatis Dei ruinam, quantum in nobis est, molimur, digni sumus, ad quos conterendos toto iræ suæ impetu fulminet. Nec ullum atrocius crimen fingi potest, quam sacrilegâ perfidiâ violare conjugium, quod nobiscum unigenitus

Dei Filius contrahere dignatus est.  
Et §. 1. Hæc enim, inquit, quæ Deus  
conjunxit separari fas non est: ut  
quibus ipse est Pater, Ecclesia etiam  
Mater sit. - Teste Apostolo, qui no-  
væ & cælestis Jerosolymæ nos esse  
filios docet. Gal. 4. 24. Talia ad-  
modum orthodoxè tradit Institutio.

Non est prætereunda in hoc ar-  
gumento Magni Augustini sententia.  
Is in lib. 4. de Baptis. c. 17. ait: Quis-  
quis ab hac Ecclesia Catholica fuerit  
separatus, quantumcunque laudabi-  
liter se vivere existimet, hōc solo sce-  
lere, quòd à Christi unitate disjun-  
ctus est, non habet vitam, sed ira Dei  
manet super illum. Idem S. Doctor  
in sermon. super gestis cum Emerito  
Donat. Episc. Salutem, inquit, nemo  
habere potest, nisi in Ecclesia Catho-  
lica: extra Ecclesiam totum potest,  
præter salutem: potest habere Sa-  
cramentum, potest cantare Alleluja,  
tene-

tenere Euangelium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. fidem habere, & prædicare: sed nusquam, nisi in Ecclesia Catholica potest salutem invenire. Ita S. Augustinus.

Hanc igitur teneamus spei, & fidei nostræ confessionem indeclinabilem. Hebr. 10. 23. Videlicet:

*Primum ad salutem necessarium  
est Ecclesia, & extra hanc nulla est salus.*

## Fax, sive Veritas II.

*Primorum seculorum Ecclesia  
fuit orthodoxa, & Apostolica.*

**P**Assim id deprædicant reformati. In Institut. lib. 4. c. 2. §. 3. fatentur, extra controversiam esse, nullam à principio ad Augustini usque tempora, nominatim in Romana Ecclesia doctrinæ factam mutationem, sed ab ipsis jam indè Apostolis ad illam

38 *Tract. II. Ven. P. Luce Kolich*

lam usque ætatem constanter reten-  
tam fuisse. Unde Calvinus in re-  
sponsione ad Jacob. Sadolet. prote-  
stari non dubitavit, omnes suos co-  
natus eò tendere, ut restituat illam  
Ecclesiæ faciem, quæ fuit apud Græ-  
cos tempore Chrysostomi, & Basilii,  
& apud Latinos tempore Cypriani,  
Ambrosii, Augustini, ut scripta, in-  
quit, eorum testantur. Adeoque  
Reformati hoc potissimum nomine  
gloriantur, quod veterem illam col-  
lapsam, ut volunt, pessumdatamque  
Ecclesiam postliminiò feliciter resti-  
tuerint, suamque fecerint: ita ut  
moderna hæc Reformata alia non sit,  
quam vetus illa meliorum seculo-  
rum restituta Ecclesia. Bene habet.  
Fulget altera etiam Fax, & concor-  
damus in eandem Veritatem nem-  
pe:

*Ecclesiam primorum seculorum or-  
thodoxam fuisse, planèque Apostolicam.*

His

His jam pro comperto , & confessio  
habitum, nihil impræsentiarum restat  
ad propositum , nisi

## Quæstio & Inquisi- tio unica & principalis præsentis tractationis.

*Moderna reformata Ecclesia  
an sit cum Vetere Ecclesia eadem,  
aut conformis ?*

**L**AUDATUR à Sozomeno lib. 7. hist.  
c. 12. sapientissimum Theodosii  
consilium, qui sui temporis Novato-  
res compescuit, hoc pacto. Jussit se-  
ctorum principes convenire: tum  
petiit, crederentne, antiquos Patres,  
qui Ecclesiam ante illa religionis di-  
sturbia rexerant, recte consensisse,  
& verè sanctos, & Apostolicos fui-  
sse? Iis affirmantibus, subjunxit, Exa-  
minemus ergo doctrinam vestram  
ad

ad illorum scripta, & si quidem cum illis consenserit, retineatur: sin minus, abjiciatur.

Compendium profectò quam expeditissimum, tam securissimum. Audentia solum præstanda est veritati, seposita omni disceptatione. Audiuntur syncerissimi orthodoxi testes, qui (ut loquitur August. lib. 2. advers. Julia. Donat.) nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt; quod invenerunt in Ecclesia, tenuerūt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, filiis tradiderunt &c.

[*Methodus, & pactum disputationis, & approbandæ Reformatæ Religionis.*] ]

**A**D Veterum igitur scripta examinemus doctrinam Reformatam, quæ si cum iis consenserit, retineatur; sin minus, abjiciatur. Ad

Ve.

Veteres ab illis ipsis appellatum est:  
ad Veteres eamus.

## De Cœna Domini.

**E**xamen à capite ordiamur, à sa-  
cra nempe Cœna, unde Refor-  
matio hæc exordium sumpsit. Duo  
in hac potissimum dogmata se refor-  
mâsse, id est, ad Veteris Ecclesiæ do-  
ctrinam restituisse gloriantur. Ne-  
gant S. Cœnam esse *Sacrificium*: ne-  
gant item, Christum inibi *corporaliter*  
*præsentem*, sub panis & vini symbolis  
contineri.

De his igitur audiemus Reformato-  
rum primū, tum VETERUM sen-  
tentias.

[*De Missæ Sacrificio senten-  
tia Reformatorum.*]

De Sacrificio sic informat cate-  
chumenos suos Institutio lib. 4. c. 18.

§. I.

§. 1. „ Sed horrendæ, inquit, abominationis caput fuit , quum si gnum satan extulit, quo penitus obliterata , & abolita evanesceret , & ex hominum memoria excideret . Sacra Cœna ; nempe quum pestilentiissimo errore totum penè orbem excæcavit, ut crederet, Missam Sacrificium , & oblationem esse. — Congredi me hic Lectores intelligent cum ea opinione, quâ Romanus Antichristus, ac ejus Prophetæ totum orbem imbuerunt , nempe Missam esse expiatoriam victimam , & quâ pro vivorum , & mortuorum expiatione Deo satisfiat. ( Deinceps quinque argumentis impotentissimè in Missæ Sacrificium debachatur.) §. 3. „ Hoc quidem certissimum est, inquit, everti Crucem Christi, simul ac erigitur altare ; — cùm per Missam millies centena Sacrafficia quotidie peragantur , Chri-

„ Christi passionem, & unicam hosti-  
„ am sepeliri submergique. Nec me  
„ latet, inquit, quibus præstigiis hanc  
„ suam fraudem prætexere soleat pa-  
„ ter ille mendacii ; non varia esse,  
„ neque diversa Sacrificia, sed unum  
„ idem sæpius repeti. §. 5. „ Si Chri-  
„ stus singulis Missis sacrificatur, eum  
„ singulis momentis mille in locis  
„ crudeliter interfici oportet. —  
„ Reclament centies licet, Sacrificiū  
„ hoc esse αναίνατον. §. 14. „ Quā  
„ ergo fiduciā sacrilegi illi, qui se ja-  
„ ἔταντ, Christi carnifex, audent se  
„ Dei viventis Sacerdotes appellare.  
„ Et §. 2. „ Qui Sacerdotes, inquit,  
„ quotidie sacrificantes præficiunt,  
„ non modò Christo æterni Sacer-  
„ dotii prærogativam eripiunt, sed  
„ è dextera Patris deturbare ipsum  
„ conantur. Quæ tamen eorum est  
„ improbitas, ad impietatem suam  
„ tuendam exemplo Melchisedech

(ali-

( aliisque scripturis ) se armant.

¶. 18. „ Hæc Missæ abominatio in  
„ calice aureo propinata omnes Re-  
„ ges terræ, & populos, à summo usq;  
„ ad novissimū sic inebriavit, sic per-  
„ cussit sopore, ac vertigine, ut bru-  
„ tis ipsis stupidiores, proram, & pup-  
„ pim suæ salutis in hac una exitiali  
„ voragine statuerint. Certè nullâ  
„ unquam validiore machinâ satan  
„ incubuit ad oppugnandum expu-  
„ gnandumque Christi regnum. Hac  
„ fornicatione spirituali, quæ omni-  
„ um est maximè execrabilis, ità se  
„ conspurcant &c. Ut omnes intelli-  
„ gant, Missam in selectissima sua in-  
„ tegritate acceptam, sinè suis ap-  
„ pendicibus, à radice ad fastigium,  
„ omni genere impietatis, blasphe-  
„ miæ, idololatriæ, sacrilegii scatere.

Talia de thesauro suo eru-  
ctat Reformatio.

**O**bstupescite coeli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer! Interrogate gentes, quis audivit talia horribilia? A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, donec dilatavit os suum Reformatio.

In eodem lib. c. 17. §. 36. hæc habentur: „Qui Sacramenti adoratio, „nem excogitarunt, eam non modò „à se ipsis somniarunt, citra scriptu- „ram; - - sed reclamante Scriptu- „râ, suæ sibi libidinis arbitrio Deum „fabricati sunt, derelicto Deo viven- „te. Quid enim idololatria, si hoc „non est? dona pro datore ipso co- „lere. Ubi dupliciter peccatum est: „nam & honor Deo raptus ad crea- „turas traductus est; & ipse etiam „in polluto ac profanato suo bene- „ficio inhonoratus; dum ex sancto „eius Sacramento factum est execra- „bile idolum. Et §. 15. „Nec ve- rò

„rò satanæ præstigiis tam fœdè un-  
 „quam delusi fuissent, nisi quia fasci-  
 „nati jam erant illo errore, Corpus  
 „Christi sub pane inclusum ore cor-  
 „poreo in ventrem transmitti. Tam  
 „brutæ imaginationis causa fuit,  
 „quod consecratio tantundem apud  
 „eos valebat, ac magica incantatio.

Ohe! Christiane Lector, jam sa-  
 tis est, ohe! tinniunt ambæ aures;  
 mens stupet attonita. Liceat ali-  
 quando subducere de tetra maledi-  
 centiæ tempestate caput nimio pere  
 obtusum. Bene habet.

[ *Reformati condamnant Ve-  
 terem Ecclesiam.* ]

**S**ubsidente procellâ, in serenum  
 lux erumpere occipit. Nimirum  
 magna est Veritas, & prævalet. 3.  
 Esdr. 4. exprimitque vel à reluctan-  
 tibus confessionem, quam enuntiat  
 eadem Institutio eodem libro, c. 18.

§. II. „ Sed quia, inquit, Veteres quo-  
„ que illos video aliò hanc memori-  
„ am detorsisse, quàm institutioni Do-  
„ mini conveniebat ( quòd nescio  
„ quam repetitæ , aut saltèm renova-  
„ tæ immolationis faciem eorum  
„ Cœna præferebat ) nihil tutius piis  
„ peccoribus fuerit , quàm pura sim-  
„ plicique in Dei ordinatione acquie-  
„ scere. Imitati sunt ( pergit Refor-  
„ matio ) propriùs Judaicum sacrifi-  
„ candi morem , quàm aut ordinave-  
„ rat Christus , aut Euangelii ratio fe-  
„ rebat.

Hoc habet ! Ecce jam palam lo-  
quuntur : hoc nempe desiderabatur,  
ut expectorarent aliquando genuinos  
animi sensus. Operata quæ fuere ,  
aperta sunt : patent præstigiæ : gra-  
tulatur Plautus in Captiv. Vides  
jam , Lector , tempestatem omnem  
& bruta fulmina in ipsam illam Ve-  
terem orthodoxam Ecclesiam desæ-  
vire,

vire, sed per latus Romani Antichristi, & sub prætextu Romanæ Ecclesiæ. *Peteres illi*, inquit, illi depravârunt institutionem divinam, Sacram Coenam pessum dederunt, in Sacrificium Judaicum perverterunt. Nos igitur pia pectora Reformati impiæ & sacrilegæ illi Ecclesiæ nuntium remittimus. Exite de illa populus Dei, & nè participes sitis delictorum ejus.

Heu pietas ! heu Reformata fides ! per calcatam Ecclesiam tendere ad Christum : repudiatâ Matre, Patrem Deum quærere : ingressum ad vitam aliunde quam per Ecclesiæ tentare : extra ejus gremium ullam salutem sperare.

Deprehendisti jam Lector in ipso capite, *quid sit Reformatio, quid Reformatum est.* Quo compertò, nihil attinebat, ulteriorem facere inquisitionem, ubi propria tenetur confessio.

Ve-

## Veteres de Missæ Sa- crificio.

**S**ed ut magis elucescat Veritas, contrariis mutuè compositis, & quòd ipsimet tam fidentes conformitatem cum Vetere Ecclesia jactabant; age prodeant in arenam Veteres, ad quos provocarunt.

**S. CYPRIANUS A. D. 250.**

Agmen ducat clarissimum Veteris orthodoxiæ lumen Divus CYPRIANUS, qui lib. 2. epist. 3. argumentum de S. Coena ad institutum nostrum disertissimè pertractans hæc habet. In Melchisedech Sacerdote Sacrificii Dominici Sacramentū præfiguratum videmus; secundùm quod Scriptura divina testatur Gen. 14.18. At Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum, fuit enim Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham.

C

Nam

Nam quòd Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus S. ex persona Patris ad Filium dicens Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; qui ordo utique hic est de sacrificio illo descendens, & indè veniens, quòd Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & Vinum obtulit quòd Abrahā benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam D. N. JESUS Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulit; id est, panem, & vinum; suum scil. Corpus & sanguinem. - Ergo in Genesi præcedit ante imago Sacrificii, in pane & vino constituta, quam perficiens atque adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vieno obtulit. Sed & per Salomonem (Prov. 9. 2.) Spiritus Sanctus typum

„ typum Dominici sacrificii antè præ-  
„ monstrat, immolatæ hostiæ , & pa-  
„ nis & vini, sed & altaris, & Aposto-  
„ lorum faciens memoriam, &c. Si  
„ JESUS Christus ipse est summus  
„ Sacerdos Dei Patris , & Sacrificium  
„ Deo Patri ipse primus obtulit , &  
„ hoc fieri in sui memoriam præce-  
„ pit ; utiq; ille Sacerdos vice Christi  
„ rite fungitur, qui id quod fecit Chri-  
„ stus , imitatur, & Sacrificium verum  
„ & plenum offert tunc in Ecclesia  
„ Deo Patri , si sic offert , ut ipsum  
„ Christum videt obtulisse. Post  
„ Cœnam obtulit , ut horâ ipsâ Sa-  
„ crificii ostenderet vesperam mun-  
„ di , & occident eum ad vesperam.  
„ Exod. 12. 6. *Hæc gloriosus Dei Mar-*  
*týr Cyprianus.*

S. CLEMENS ALEX. A.D. 204.

*Lib. 4. Strom. c. 8. „ Melchisedech,*  
*, inquit, Rex Salem Sacerdos Dei Al-*  
*C 2 tissi-*

52 Tract. II. Ven. P. Lucæ Kolich.

„tissimi, qui vinum, & panem sancti-  
„ficatum dedit nutrimentum in ty-  
„pum Eucharistia.

S. IRENÆUS A. D. 190.

Lib. 4. *adv. hær. c. 32.* „Panem, in-  
„quit, accepit, & gratias egit, dicens :  
„Hoc est Corpus meum; & Calicem  
„similiter suum sanguinem confessus  
„est. Et Novi Testamenti novam  
„docuit oblationem, quam Ecclesia  
„ab Apostolis accipiens, offert Deo  
„in universo mundo, de quo Mala-  
„chias præsignificavit cap. 1. Ab or-  
„tu solis usque ad occasum magnum  
„est nomen meum in gentibus, &  
„in omni loco sacrificatur & offertur  
„nomini meo oblatio munda. *Simi-*  
*„lia c. 33. & 34.*

S. JUSTINUS A. D. 150.

In *Dial. cum Tryph. Jud.* „De nostris,  
„inquit, Gentium, quæ in omni loco  
„offeruntur, Sacrificiis, hoc est, pa-  
ne

„ne Eucharistiæ & poculo similiter  
„Eucharistiæ, jam tum loquutus Ma-  
„lachias prædixit, nos glorificare no-  
„men ejus.

S. IGNATIUS MART.  
Apostolorum æqualis.

*In Epist. ad Smyr.* „ ὃν ἐξόν ἐστι Χωρὶς  
„ τὴς ὅμοιόπειας τὸ βαπτίζειν, τὸ προσφέ-  
„ γεῖν, τὸ δυσίαν προσκομιζεῖν. Non li-  
„ cet sinè Episcopo neque baptizare,  
„ neque offerre, neque Sacrificium  
„ immolare.

NICENUM CONCILIUM.

*Diatyposi de Divina mensa ita docet :*  
„In illa divina mensa attollentes  
„mentem, fide intelligamus, situm  
„in illa mensa Agnum illum Dei, tol-  
„lentem peccata mundi, incruentem  
„à Sacerdotibus immolatum, & pre-  
„tiosum ejus Corpus & sanguinem  
„nos verè sumentes, credere hæc  
„esse nostræ resurrectionis symbola.

54 Tract. II. Ven. P. Lucæ Kolich  
Idem Concilium Can. XIV. ità loquitur.  
„Pervenit ad Sanctum Concilium,  
„quod in locis quibusdam & Civita-  
„tibus Presbyteris Sacra menta Dia-  
„coni porrigant. Hoc neque regu-  
„la, neque consuetudo tradidit, ut  
„hi qui offerendi sacrificii potesta-  
„tem non habent, his qui offerunt,  
„Corpus Christi porrigant. Ità syn-  
nodus Sancta Nicena. De qua Calvinus lib.  
4. Instit. c. 9. §. 8. sic protestatur. „Pri-  
„scas illas synodos, ut Nicenam &c.  
„libenter amplectimur, reveremur-  
„que ut sacrosanctas, quantum atti-  
„net ad fidei dogmata: nihil enim  
„continent, quam puram, & nativam  
„Scripturæ interpretationem. En-  
præcipuum fidei dogma Sacra Cœna, am-  
pleteantur ut sacrosanctam Sacrae Synodi  
doctrinam.

EUSEBIUS CÆSARI. A.D. 320.  
Lib. 5. de Euang. demonst. cap. 3. „Et  
„sanè, inquit, oraculi exitus admirabilis,

„ bilis ei , qui contempletur , quem-  
„ admodum Salvator noster JESUS ,  
„ qui est Christus Dei , ipsius Melchi-  
„ sedech ritu , ea quæ ad Sacerdoti-  
„ um in hominibus gerendum spe-  
„ ñtant , per suos ministros perficiat .  
„ Nam quemadmodum ille , qui Sa-  
„ cerdos Gentium erat , nusquam vi-  
„ detur Sacrificiis corporalibus fun-  
„ ctus , sed vino solo & pane , dum A-  
„ brahamo benedixit : ita sanè pri-  
„ mus ipse Salvator ac Dominus no-  
„ ster , deinde qui pane Corporis il-  
„ lius , & salutaris sanguinis mysteria  
„ repræsentant ; quæ sanè mysteria  
„ Melchisedech tantò antè Spiritu  
„ Divino cognoverat , & rerum fu-  
„ turarum imaginibus usus fuerat .

S. AMBROSIUS A. D. 370.

*Libr. 5. de Sacramentis cap. 1. „ Co-  
gnovimus Sacmentorum istorum  
figuram Abrahæ temporibus præ-*

56 Tract. II. Ven. P. Luce Kolich

„cessisse, quando obtulit Sacrificium  
„Sanctus Melchisedech.

*Idem s. Doctor planissime scribit in c. i.  
Luc. „Quando sacrificamus , Christus  
„adest, Christus immolatur. Et  
„enim pascha nostrum immolatus  
„est Christus. Idem in Ps. 38. „Se-  
„quamur , ut possimus Sacerdotes  
„principem Sacerdotum, ut offera-  
„mus pro populo Sacrificium. Quia  
„etsi nunc Christus non videtur of-  
„ferre, tamen ipse offertur in terris,  
„quando Christi Corpus offertur.*

S. GREGORIUS NYSSEN.

A. D. 380.

*Greg. Nyss. Orat. de Resurr. „Domini  
„nus præoccupans impetum Judæo-  
„rum , seipsum victimam offert,idem  
„Sacerdos,& Agnus. Sed dices,quan-  
„do hoc accidit? Tum , cùm Cor-  
„pus suum ad manducandum , &  
„sanguinem ad bibendum familiari-  
„bus dedit.*

S. HIE-

S. HIERONYMUS A. D. 390.

Hieron. in Epist. ad Marcellum. „ Re-  
curre ad Melchisedech Regem, qui  
tunc in typo Christi panem & vi-  
num obtulit, & mysterium Chri-  
stianum in Salvatoris sanguine &  
Corpore dedicavit. Idem in Epist.  
ad Evagr. de Melchisedech scribit ex  
sententia vetustissimorum Patrum  
Irenæi, Hippolyti, Eusebii Cæsar. &  
Emisseni, Apollinarii, & Eustachii,  
ordinem Melchisedech in eo consi-  
stere, quod non immolaverit cru-  
entas victimas, sed pane & vino sim-  
plici puroque Sacrificio, Christi de-  
dicaverit Sacramentum.

Idem in comment. Matt. 22. ait, Mel-  
chisedechum pro Abrahamo obtulit  
panem & vinum. Et in cap. 24.  
Melchisedechum Sacerdotem Dei,  
panem & vinum offerendo præfigu-  
râsse mysterium Eucharistie.

Idem in cap. 26. „ Postquam, inquit,

58 Tract. II. Ven. P. Lucæ Kolich

„typicum pascha fuerat impletum,  
„& Agni carnes cum Apostolis co-  
„mederat, assumit panem, qui con-  
„fortat cor hominis, & ad verum  
„paschæ transgreditur Sacramen-  
„tum; ut quomodo in præfigura-  
„tione ejus Melchisedech summi  
„Dei Sacerdos panem & vinum of-  
„ferens fecerat, Ipse quoque VERI-  
„TATEM sui CORPORIS & SAN-  
„GUINIS repræsentaret.

S. AUSTINUS A. D. 400.

*Augustin. in Epist. 95. ad Innocent. Pap.*  
„Melchisedech, inquit, prolatu Sa-  
„cramento mensæ Dominicæ, novit  
„æternum ejus Sacerdotium præfi-  
„gurare.

*Idem de Civit. Dei lib. 16. c. 22. loquens  
de oblatione Melchisedech, ait: „ Ibi pri-  
mùm apparuit Sacrificium, quod  
nunc à Christianis offertur toto or-  
be terrarum.*

*Idem in serm. ii. de Sanct. Quid ho-*  
*no.*

„ norabilius dici potest, quām sub il-  
„ la ara requiescere , in qua Domi-  
„ nus est Sacerdos , sicut scriptum  
„ est : *Tu es Sacerdos &c.*

*Idem in Ps. 33. Conc. 2. „ Ipse de Cor-*  
„ *pore & sanguine suo Sacrificium*  
„ *instituit secundūm ordinem Mel-*  
„ *chisedech. Et cont. adver. Leg. lib. 1.*  
„ *c. 20. „ Noverunt, inquit, qui legunt.*  
„ *quid protulerit Melchisedech, quan-*  
„ *do benedixit Abrahæ ; & jam sunt*  
„ *participes ejus. Vident tale Sa-*  
„ *crificium nunc offerri Deo toto or-*  
„ *be terrarum. Dei autem juratio*  
„ *incredulorum est increpatio.*

*Lib. 17. c. 20. de Civit. citans illud Pro-*  
*verb. 9. Sapientia ædificavit &c. & dixit :*  
*Comedite panem meum &c. „ Hic certè*  
„ *inquit, agnoscimus Dei sapientiam,*  
„ *hoc est, Verbum Patri coæternum*  
„ *mensam in vino & pane præparâs-*  
„ *se; ubi apparet etiam Sacerdotium*  
„ *secundūm ordinem Melchisedech.*

60 Tract. II. Ven. P. Luca Kolich

,, Nam & illud (Eccle. 5. 17.) Non  
,, est bonum homini, nisi quod manducabit  
,, & bibet: Ad participationem hujus  
,, mensæ pertinet, quam Sacerdos  
,, Ipse Mediator Testamenti novi ex-  
,, hibet secundum ordinem Melchise-  
,, dech de Corpore & sanguine suo.  
,, Id enim Sacrificium successit om-  
,, nibus Sacrificiis Veteris Testamen-  
,, ti, quæ immolabantur in umbra fu-  
,, turi. Quia pro omnibus illis Sacri-  
,, ficiis & oblationibus Corpus ejus  
,, offertur, & participantibus ministra-  
,, tur. Hæc & plura S. Augustinus.

S.CHRYSOSTOMUS A.D.400.

*Chrysost. in Ps. 95. v. 1.* „ Ecclesia  
„ Christi, inquit, à nullo prohibetur  
„ loco, in omni loco sunt altaria. –  
„ Hæc prædixit Deus per Prophetam  
„ Malach. I. Ab ortu solis &c. Vide,  
„ quām luculenter, quāmque diluci-  
„ dè mysticam interpretatus est men-  
„ sam, quæ est incruenta hostia, thy-  
„ mia,

„ miama verò purum appellat sacras  
„ preces , quæ post hostiam offerun-  
„ tur . Vides , nullis finibus circum-  
„ scribi neque altare , neque canti-  
„ cum . Est igitur hostia pura primò  
„ quidem mystica mensa , cælestè  
„ summèque venerandum mysteri-  
„ um . *Idem Orat. 17. in epist. ad Hebr.*  
„ Quoniam multis locis offertur , mul-  
„ tine sunt Christi ? Nequaquam , sed  
„ unus ubique est Christus . Ponti-  
„ fex noster est , qui illam obtulit ho-  
„ stiam , quæ nos mundat ; illam quo-  
„ que nunc offerimus , quæ tunc  
„ fuit oblata .

*Idem Hom. 60. ad Pop.* „ Qui tunc  
„ ipsa fecit in illa Coena , idem ea  
„ nunc quoque facit . Nos ministro-  
„ rum tenemus locum , qui verò san-  
„ tificat ea , & immutat , ipse est . Ve-  
„ rùm & tu laice , cùm Sacerdotem  
„ videris offerentem , nè ut Sacerdo-  
„ tem hoc putas faciontem , sed Chri-  
„ sti

„sti manum invisibiliter extentam. =  
 „Audiamus igitur & Sacerdotes , &  
 „subditi, quali escâ facti simus digni:  
 „audiamus & horreamus ; sanctis  
 „CARNIBUS suis nos dedit impleri,  
 „semetipsum apposuit immolatum.

*Idem lib. 6. de Sacerdotio.* „Qualem  
 „oportet esse eum, qui pro universo  
 „terrarum orbe legatus intercedit,  
 „deprecatörque est apud Deum, ut  
 „hominum omnium non modò vi-  
 „ventium, sed & mortuorum pec-  
 „catis propitius fiat. – Cùm autem  
 „Sacerdos Sacrificium illud horro-  
 „re, & reverentiâ plenissimum per-  
 „fecerit, communi omnium Domi-  
 „no manibus assiduè pertractato;  
 „per id tempus Angeli Sacerdoti af-  
 „sistunt, & locus altari vicinus in il-  
 „lius honorem, qui immolatur, An-  
 „gelorum chorus plenus : id quod  
 „credere abundè licet, vel ex tanto  
 „illo Sacrificio, quod tunc peragitur.

S.

S. OPTATUS MILEVITANUS.

*Optat. Milevit. lib. 6.* Quid tam sacrilegum, *inquit*, quām altaria Deī frangere, in quibus membra Christi portata sunt. Quid enim est altare, nisi SEDES CORPORIS ET SAN-  
GUINIS CHRISTI ? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa tempora CORPUS, & SAN-  
GUIS habitabat ?

S. CHRYSOSTOMUS.

*Lib. 3. de Sacerdot.* „ Sacerdotium „ ipsum in terra quidem peragitis, „ sed in rerum cælestium ordinem „ transferendum est : quippe non „ mortalis quispiam, non Archange- „ lus, non alia quævis creata poten- „ tia, sed ipse Paracletus ordinem hu- „ jusmodi disposuit. - Nam dum con- „ spicis Dominum immolatum, Sa- „ cerdotem Sacrificio incumbentem, „ &c. O ! miraculum, qui cum Patre „ suprà sedet, in illo ipso temporis ar- ti-

„ ticulo omnium manibus pertracta-  
„ tur , ac se ipse tradit volentibus  
„ accipere. - Num contra ista quis  
„ potest insurgere ? Hoc mysterium  
„ maximè horrendum, verendūmque  
„ quis tandem , qui sanus sit , quique  
„ è potestate non exierit , fastidire  
„ poterit ? &c. Quare judicio qui-  
„ dem meo , qui Sacerdotes despici-  
„ unt, contemnuntque, multò scelera-  
„ tiores , ac majori supplicio digni-  
„ fuerint quam Dathan , unà cum  
„ omnibus suis. Et quidem nem-  
„ nem extare tales dixerim , nisi fu-  
„ riarum oestro percitum. *Talia au-*  
*reum os Chrysostomi.*

*Idem Hom. 2. in 2. Tim. 2. „ Sacra*  
„ ipsa oblatio , inquit , sive illam Pe-  
„ trus , sive Paulus , sive cujuscunque  
„ meriti Sacerdos offerat , eadem est,  
„ quam dedit Christus ipse discipulis,  
„ quamque Sacerdotes quoque modò  
„ conficiunt. Nihil habet ista , quam  
„ illa

, illa minùs. Cur id? quia non hanc  
sanctificant homines, sed Christus,  
qui illam ante sacraverat, quemad-  
modum enim verba quæ locutus  
est Christus eadem sunt, quæ Sa-  
cerdotes nunc quoque pronuntiant,  
itâ & oblatio eadem est. Et hoc  
igitur Corpus Christi, & illud est.

HABES candide, & Veritatis stu-  
diose Lector de divinissimo Coenæ  
Sacrificio doctrinam, sententiāmque  
VETERIS ORTHODOXÆ EC-  
CLESIÆ sole meridiano clariùs re-  
præsentatam. E millenis paucula  
dedimus. Adeò inter mysteria San-  
ctæ Fidei nostræ nullum dogma tan-  
tâ testium nube est coronatum, at-  
que istud. Millies in Veteribus le-  
gas, liturgiam facere, ad liturgiam conve-  
nire, sacrificare, immolare, Sacrificium al-  
taru, Corporis Christi, hostiam, victimam  
incruentam, aviculatōs offerre. Tot  
prostant de Sacerdotio, & Sacrificio  
hoc

hoc conscripti à Chrysostomo, Ambrosio, Cyrillo, aliisque libri, & tractatus luculentii. Quid plura? ipsæ illæ liturgiæ, ritusque Sacrificii hujus peragendi, omnium Ecclesiarum, Græcæ, Latinæ, Barbaricæ, Alexandrinæ, Ægyptiacæ, Æthiopicæ &c. Hanc Veritatem Catholicam vel cæcis palpandam ingerunt.

Et de primo haec tenus: de altero jam Reformatæ Cœnæ dogmate iuvat aliquid ex iisdem purioris antiquitatis fontibus propinare. Bibant, si justitiam sitiunt Reformati.

## De reali Christi in S. Cœna præsentia.

*Veterum sententiae.*

S. HILARIUS.

**H**ilar. lib. 8. de Trin. Quæ legimus,  
inquit, intelligamus. Ipse enim  
di-

dicit: *Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus.* de Veritate carnis, & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostrâ, verè caro est, & verè sanguis. Anne hoc Veritas non est? contingat planè his verum non esse, qui Christum JESUM verum esse Deum negant. NB.

S. CYRILLUS HIEROSOL.

Cyrill. *Catech. mysta.* 4. Ipse Beatus Paulus modò clamabat, quod in nomine, quâ tradebatur Dominus noster JESUS Christus, accipiens panem dixit, *Hoc est Corpus meum,* & calicem, *Hic est sanguis meus.* Cùm igitur ipse pronuntiaverit, *Hoc est Corpus meum,* quis audebit deinceps ambigere? cùmque idem ipse asseveranter dixerit, *Hic est sanguis meus,* quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse ejus sanguinem? Aquam olim in vinum convertit; & eum parum dignum existimabimus, cui creda-

mus, quod vinum in sanguinem transmutarit? - Nam in specie panis dat nobis Corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem. Corpus enim sunt & sanguis; etsi sensus tibi illud renuntiat, fides tamen te confirmat, & citra omnem dubitationem certum reddit &c.

S. AMBROSIUS.

*Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4.* Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est? & cujus sermonibus? Domini JESU. Si tanta vis est in sermone Domini JESU, ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut quae erant, in aliud commutentur. Ergo ut tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post

post consecrationem dico tibi, quod  
jam corpus est Christi. Ipse dixit,  
& factum est, Ipse mandavit, & crea-  
tum est. Ipse Dominus JESUS te-  
stificatur nobis, quod corpus suum  
accipiamus, & sanguinem; nunquid  
debemus de ejus fide, & testificatio-  
ne dubitare?

S. CHRYSOSTOMUS.

*Chrysost. tom. 3. hom. 24. in 1. Cor. 10.  
vers. 16.* Calix benedictionis, cui be-  
nedicimus, nonne communicatio  
sanguinis Christi est? valde fideliter  
dixit, & terribiliter. Hoc est autem  
quod dicit. Id quod est in calice est  
quod fluxit ex latere; & illius sumus  
participes. Et in veteri quidem,  
quem idolis offerebant sanguinem,  
eum ipse sustinuit suscipere; hic au-  
tem & ipsum mutavit Sacrificium, &  
pro cæde brutorum se ipsum jussit  
offerri. In eadem homil. docet S. Orator,  
nobis proponi idem Corpus, quod  
fuit

fuit clavis confixum , flagris cæsum,  
 & tandem usque ad supremam sedem  
 elatum. Magos hoc ipsum Corpus  
 adorâsse in præsepi , nos autem in al-  
 tari ; illos in ulnis mulieris , nos au-  
 tem in manibus Sacerdotis.

*In homil. 61. epist. ad Pop.* Volui, in-  
 quid Christus, frater vester fieri : car-  
 ni propter vos & sanguini commu-  
 nicavi : vobis vicissim ipsam carnem  
 & sanguinem, per quæ vester cognat-  
 us factus sum, trado. - Si pura sunt  
 vestimenta , adora , & communica.  
*Millies talia repetit Chrysostomus.*

### S. AUGUSTINUS.

*August. super Levit. lib. 3. quæst. 57.*  
 Quid sibi vult , inquit, quod à sanguine  
 Sacrificiorum tantopere populus  
 prohibetur ? si illis Sacrificiis unum  
 hoc Sacrificium significabatur, in quo  
 vera fit remissio peccatorum ; à cu-  
 jus Sacrificii sanguine in alimentum  
 sumendo non solum nemo prohibe-  
 tur

tur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam. *Idem tract. 31. in Joan.* Viderunt suo scelere morientem, & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem, quousque biberent sanguinem quem fuderunt.

*Idem cont. advers. Leg. lib. 2. c. 9.* Mediatorem Dei & hominem Christum JESUM carnem suam manducandam, bibendūmque sanguinem dantem fideli corde & ore suscipimus; quamvis horribilis videatur, humanam carnem manducare, quam perire: & humanum sanguinem potare, quam fundere.

S. AMBROSIUS.

*Ambr. lib. 3. de Spir. S. c. 12. in verba Ps. 98.* Adorate scabellum pedum ejus. Per scabellum, inquit, terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino adorarunt. *Con-*  
*sensat*

72 Tract. II. Ven. P. Lucæ Kolich  
sonat S. Aug. in eadem Psalmi verba: Invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, adoretur scabellum pedum. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne h̄ic ambulavit, & IPSAM CARNEM manducandam nobis ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Dei: ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Ità de Sacra Domini Cœna orthodoxi Veteres.

### Antitheta utriusque Ecclesiæ.

**O**B oculos positam habes, Lector Christiane, vivis expressam coloribus quoad Reformationis Caput,

put, utriusque Ecclesiæ faciem. Exspectabas utique tam sanctè promissam conformitatem. Quæ autem societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? Non tantum ab Oriente distat Occidens, à Cœlo orcus, quantum Reformata, ut vides, Ecclesia, à Vetere Orthodoxia. Nempe quod Veteribus est Christus, & Deus, id Reformatis Antichristus, & satan; quod illis divinum, sacro-sanctum, & cultūs divini fastigium, hoc istis idololatria execrabilis, omnis blasphemiaz, impietatis, sacrilegii sentina, vorago, &c.

*Remonstratio abominationum.*

**V**Etitum quidem olim fuit oraculô Camerinam movere. Verum hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponam contra te omnes abominationes tuas, & abominationes tuæ in medio tui erunt. Ezech. 7.

D

Qui

Qui Missam docuit Sacrificium & oblationem esse , hic Antichristus fuit, imò ipsissimus diabolus , qui pestilentissimo hoc errore totum orbem obcæcavit ; abominatione propinata in aureo poculo inebriavit omnes Reges terræ , & populos , à summo usque ad novissimum ; & fornicatione spirituali omnium maximè execrabilis conspurcavit . Hæc & ejusmodi fæcis plurima sunt Reformationis axiomata.

At verò novam hanc novi Testamenti oblationem , & Sacrificium primus DEO Patri obtulit summus Dei Sacerdos , Sapientia Dei , Verbum Patri coæternum , Dei hominumque Mediator JESUS Christus.

O Reformatio ! super quem dilatasti os , & ejecisti linguam.

Qui Sacerdotes præfecit sacrificantes , is ( è Reformatorum sententia ) Christo prærogativam Sacerdotii eripuit ,

ripuit, ipsumque è dextera Patris deturbare conatur: is sacrilegos carnifices instituit, qui Christum singulis momentis mille in locis crudeliter interficiant. Sic isti. At ordinem hujus Sacerdotii instituit, disposuitque Paracletus ipse. Cui ergo exprobrastis, & quem blasphemastis, & super quem exaltastis vocem, ô Reformati!

Consecratio tantundem est, ac magica incantatio, inquiunt illi. At hæc consecratio peragitur ipsius Christi verbis, ejusque manu invisibiliter extentâ. Cui assimilaistis me, dicit Deus, & comparastis me, & similem fecistis? Isai. 46.

Porro cùm Christus non semet ipsum clarificaverit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Hebr. 5. jam ecce tota illa maledicentia sen-

76 Tract. II. Ven. P. Lucæ Rolich  
tina in ipsam fontanam Deitatem ex-  
oneratur. Quæ cùm ità sint,

Necessarium omnino erit, inqui-  
rere in ipsum authorem, fontemque  
invenire, unde tam abominanda pro-  
fluxerunt.

*Inquiritur primus hujus  
Reformationis Author.*

**A** Domino factum est, ut secre-  
tum quod erat, propalaretur.  
Dixit Veritas: Quæ in tenebris dixisti, in  
lumine dicentur, & quod in aurem locuti  
estis in cubiculis, prædicabitur in teclis.  
Luc. 12. Non est enim aliquid abscondi-  
tum, quod non manifestetur; nec factum  
est occultum, sed ut in palam veniat. Et  
dicebat illis, Videte quid audiatis. Marc. 4.  
v. 22. Necessaria hoc loci communi-  
tio, Videte, quid audiatis, ô Reformati.

*Author is detegitur.*

**A** Ntesignanus reformationis Mar-  
tinus

tinus Lutherus confessus est, & non negavit, & confessus est: Vice quādam sub medium noctis expergefacto sibi adfuisse diabolum, qui disputationem contra Missam exorsus, eam variis argumentis, ut execrandam idololatriam, summāmque abominationem contentissimè impugnavit. Hunc magistrum de mysteriis, & dogmatis Fidei disputantem, & definientem Lutherus attentè, & benevolè auscultavit; & cùm certus esset, doctrinam è cathedra pestilentiae ab ipso mendacii patre dictatam esse, eam tamen toto pectore amplexus est, suóque reformato cōtui, ut dogma principale tradidit, proscriptō, uti præcipiebat diabolus, Sacrificio Missæ, & Sacerdotiō. Cujus facti socios reliquos cōetus reformatos, id est Ecclesiæ Catholicæ desertores natūrā est: qui omnes arripuerunt avide, & mordicus tenent, quod Luthe-

rus à nocturno illo Magistro accepit,  
& tradidit. Adhæc ipse hic discipu-  
lus, ad perpetuam rei memoriam,  
orbisque universi notitiam, totius no-  
cturnæ illius tragœdiæ seriem, ab o-  
vo malo, usque ad mala pessima lite-  
ris consignavit. Tom. 7. Wittemb.  
lib. de Missa privata. Nōrint jam  
Reformati, quā sint nati origine. Vi-  
dete, quid audiatis: quem ducem se-  
quamini. Primus qui Missæ abolen-  
dæ author, eam idololatriam nomi-  
nare ausus est, alias non fuit, quā  
Angelus abyssi Apoc. 9. cuius nomen  
**בָּבֶל** exterminans, perditio, quem  
depingit Institutio lib. I. c. 14. §. 15.  
quod adversarius Dei, & noster ubi-  
que dicitur, de quo testatur Christus,  
ab initio fuisse homicidam:  
quem mendacem in omnibus ejus fa-  
ctis experimur: qui nil nisi gloriæ  
divinæ extinctionem, & perditionem

nostram molitur; omnis malitiae, ini-  
quitatis author, dux, & architectus.  
Sic orthodoxè Institutio.

Videte nunc quidaudiatis ô Re-  
formati: Hunc ipsum, qualem de-  
scribitis diabolum, authorem sibi, du-  
cem, & architectum in Missa abo-  
lenda fuisse confitetur princeps Re-  
formationis vestræ Lutherus. Huic  
vos Magistro, & Duci concredidistis  
posthabitâ, contemptaque Ecclesiâ.  
Applausit Doctori suo hoc epiphon-  
emate Lutherus: Hic ego, inquit,  
nil moror eos, qui occlamabunt Ec-  
clesiam, & Patres, Gregorium, <sup>></sup>  
Bernardum, & reliquos, Missam  
hujusmodi peregisse. Et Calvinus:  
Congredi *me* Lectores intelligent  
cum ea opinione, quâ universus or-  
bis, & omnes populi, à summo us-  
que ad novissimum imbuti sunt, &c.

Certè palam faciunt hujusmodi  
capita, spiritum pariter cum doctri-

na se hausisse ab illo , qui est Rex super omnes filios superbiorum , Job. 41. idque non sine insigni auxilio. Confer Lector ea quae contra Missam evomuerunt sive Lutherus , sive Calvinus , cum nocturna illa diaboli disputatione , & deprehendes discipulos Magistro sexcentis parasangis praecucurrisse. *Videte, quid audiatis.*

Jam ubi constat , ipsis patentibus , discipulis , satanam Missam adversarium esse capitalissimum , ejusque abolendam authorem ; vide quam sint inverecundè mendaces , quod non dubitant eundem diabolum confingere Missam authorem , & fabricatorem. Calvinus haec est supereminentiis phasis , nullam unquam validiore machinam satanam ad expugnandum Christi regnum incubuisse , quam per Missam. Præcrocitavit pullo suo malus corvus Lutherus : in hac una fabricanda diabolos omnes

nes annis sexcentis desudâsse asse-  
rens.

Quis cæcus non palpet, quas te-  
nebriones isti obtendunt tenebras ?  
támne amens est diabolus , sibique  
hosticus, ut machinam sexcentos an-  
nos elaboratam, *πανοπλίαν* in qua u-  
nica confidit , regni denique sui ar-  
cem , omnis idololatriæ , sacrilegii,  
impietatis compendium, ipsem et sci-  
ens prudens oppugnaverit , dissipar-  
verit, pessum dederit. ἐπινέσησαν μαρ-  
τυρες αὐθικοί οὐκ εὑστάτο ή αὐθικία εἰσυ-  
τῆ. Φαλ. κλ'. Insurrexerunt testes  
iniqui; & mentita est iniquitas sibi.

Quid dicit Veritas ? Si satanas  
consurrexit in semetipsum, non po-  
test stare , sed finem habet. Quomo-  
do ergo stabit regnum ejus ? Marc. 3.  
Matt. 12. Isti verò corroborant sibi  
verbum nequam : dicunt quis vide-  
bit ? scrutantur iniquitates. Et im-  
pingere fecerunt in semetiplos ipsam

82 Tract. II. Ven. P. Luca Kolich  
linguam suam. Fugient omnes vi-  
dentes eos ; & timebunt omnes ho-  
mines , & annuntiabunt opus Dei , &  
opus ejus intelligent. Ps. 64. Hebr.

Quocirca , si utique justitiam loqui-  
mini , recta judicate filii hominum : etenim  
*in corde iniquitates operamini , in terra in-*  
*justicias manus vestræ concinnant*, &c. Psal-  
mi 57. Sic igitur è Veritate loquen-  
dum vobis est : Quum videamus sa-  
tanam , qui pater mendacii est , ubi-  
que Dei & noster hostis , quique nil  
nisi gloriæ Divinæ extinctionem , no-  
strāmque perniciem molitur , tantâ  
hostilitate in Missam abolendam in-  
cumbere ; profectò necesse est , hanc  
ipsam plurimùm ad Dei gloriam , no-  
strūmque emolumentum conferre :  
atque adeò ut opus Dei sanctè reti-  
nenda est ; doctrina verò contraria ,  
quam ipsimet discipuli sese à diabolo  
fatentur hausisse , in orcum cum au-  
thore suo releganda , sepeliendáque.

Zwin-

*Zwinglii Magister in S. Cœnæ reformatione.*

**D**Eprehensô hunc in modum prioris reformati dogmatis auctore, producit, ecce tibi, in lucem alterius quoque Reformationis Magistrum discipulus itidem, arcanam sibi factâ referens apocalypsim. Narrat (in lib. de subsid. Euchar.) somnum Zwinglius, in quo edoctum se ait à Monitore quodam, quâ ratione verba Cœnæ è proprio sensu defletri possent ad Metaphoricum; ut sic sublatâ Christi præsentia signa duntur taxat remanerent. Porro Monitor *albus an ater fuerit*, negat quidquam se meminisse. Credite posteri! Reliqua hujus somnii cùm probè meminerit, & exactè describat, unicum istud, *album an atrum* Monitorem somniaverit, momento oblitum esse, credat qui seduci amat. Sed lar-

84 Tract. II. Ven. P. Luce Kolich  
giamur hanc Zwinglio oblivionem.  
Verum enim verò temeritatis plenū  
est, fidem somnio habere , de cuius  
authore dubites , *bonus* an *nequam* is  
fuerit: Angelus Domini , an satanæ  
nocturnum phantasma ingesserit; èi  
nihilominus , veluti divino oraculo  
superstruere religionis , & totius Ec-  
clesiæ reformationem. Dicat nunc  
Reformatus : *Scio cui credidi , & certus  
sum.* Candidè loquendo , sive som-  
niaverit *atrum* , in proprio nempe  
scheme , sive *album* in ementito  
transfiguratum suggestorem illum ;  
ex Deo certè nequaquam esse potuit  
spiritus ille , ut qui manifesta opera  
carnis , inimicitias , contentiones , æ-  
mulationes , rixas , dissensiones , sectas  
seminaverit.

Lamentatur Erasmus illorum tem-  
porum æqualis , tumultus Ecclesiæ  
per istiusmodi homines tantos exci-  
tatos esse , quibus nec in Annalibus  
le-

legantur unquam exorti vel graviores, vel latius divagati. Non est dissensionis Deus, sed pacis. Contrà, qui dissidiis orbem concutiunt, parentem suum referunt, qui primus sevit discordiam inter Deum & hominem, & salutiferam Euangelicæ doctrinæ segetem vitiavit, dum inspersis zizaniis, nocturnum tempus aptum principi tenebrarum elegit. Ità Erasmus.

Universæ Ecclesiæ Dei innotescit (inquit Schlüsselburg. lib. 2. Theo. Calv.) quisnam sit ille spiritus, à quo Zwingiani suam opinionem Sacramentariam hauserunt, nempe spiritus ille ater, qui nocte obambulans, lucem fugit: hic spiritus fallax sua fallacia somnia Zwinglio somniatori inspiravit. Ita Theologus ille euangelicus.

Hisce deductam habemus ad fontes suos Reformationem.

Videte quid audiatis Reformati.

86 Tract. II. Ven. P. Lucæ Kolich

Attendite ad petram unde excisi estis ; &  
ad cavernam laci , de qua præcisi estis.  
Isai. 50.

Ex ungue leonem agnoscimus , &  
metimur ; quod è capite judicium  
feramus de tota Reformatione. Tali  
deprehenso capite , nihil attinebat  
ultrà quærere de membris aliis. Ve-  
rūm ut id quoque in Veritatis tro-  
phæum accrescat , præcipua per-  
stringemus.

## Repositio Sanctissimi Sacramenti.

**P**Riùs tamen refellenda est quæ-  
dam censura, quâ Ecclesiam Ve-  
terem percellit reformatio, damnans  
consuetudinem asservandi Sanctissi-  
mam Eucharistiam in ægrotorum u-  
sum. Sic decernit lib. 4. c. 17. §. 39.  
„ His rationibus , inquit , clare patet ,  
„ repositionem Sacramenti , ut ægro-  
„ tis extra ordinem distribuatur , in-  
uti-

, utilem esse. - - Sed enim qui sic  
, faciunt, *inquit*, habent Veteris Ec-  
, clesiz exemplum. Fateor: verūm  
, in re tanta, & in qua non sinē ma-  
, gno periculo erratur, nihil tutius  
, est, quām ipsam Veritatem sequi.  
An igitur à vobis Verbum Dei, &  
Veritas processit? aut in vos solos  
pervenit? I. Cor. 14. Quid est Veri-  
tas? ubi hæc invenitur? & quis est  
locus intelligentiæ? Nónne ubi Chri-  
stus, & ejus spiritus? in Ecclesia vi-  
delicet. Nónne hæc columna est,  
& firmamentum Veritatis. I. Tim. 3.  
v. 15. Hanc deseram, & innitar a-  
rundini vento agitatæ? ut circum-  
ferar omni vento doctrinæ, in ne-  
quitia hominum, in astutia ad cir-  
cumventionem erroris? Ephes. 4.  
Ego quod ab Ecclesia accepi, securus  
teneo, & trado. August. epist. 118.

SED IAM, si libet, à capite refor-  
mationis sic deformato, ad membra  
dein-

deinceps alia convertamus oculos ;  
& conformitatem prætensam exami-  
nemus.

Duo sibi reliqua fecerunt è septen-  
nario numero Sacra menta. De cæna  
jam vidimus. Nunc *Baptismum* in-  
spiciamus, an hunc ad Veteris Eccle-  
siæ formam restituerint.

### *Baptismi Reformatio I.*

**P**RIMÒ quidem negant eum ad sa-  
lutem esse necessarium. Insti-  
tutio lib. 4. c. 15. §. 20. „ Quantum  
„ damni, inquit, invexerit dogma il-  
„ lud malè expositum, baptisma esse  
„ de necessitate salutis, pauci adver-  
tunt. Id est, nemo præter Calvinum.  
Quid ad hæc Augustinus, quem u-  
num instar omnium, optimum & fi-  
delissimum testem antiquitatis com-  
mendat Institutio lib. 4. c. 14. §. 7.  
Hic S. Doctor in epist. 20. disertè pro-  
nuntiat. „ Quisquis dixerit, quod in  
Chri-

„ Christo vivificabuntur etiam par-  
„ vuli, qui sine Sacramenti ejus par-  
„ ticipatione de vita exeunt, hic pro-  
„ fectò & **CONTRA APOSTOLI-**  
„ **CAM** prædicationem venit, & to-  
„ tam condemnat Ecclesiam. *Idem*  
*de orig. ani. lib. 3. c. 9.* „ Noli credere,  
„ infantes, antequam baptizentur,  
„ morte præventos, pervenire posse  
„ ad originalium indulgentiam pec-  
„ catorum, si vis esse Catholicus.

*Idem serm. 14. de Verb. Apost.* „ Audi,  
„ inquit, Euangeliū : *Nisi quis renatus*  
„ *fuerit ex aqua & spiritu S.* non intrabit in  
„ *regnum cœlorum*; Domini est senten-  
„ tia: huic non resistit, nisi qui Chri-  
„ stianus non est.

Quid ad hæc Reformatio? Fal-  
luntur, inquit, qui baptismi mentio-  
nem fieri hoc loco putant. lib. 4. c. 16.  
§. 23. Idecirco commentum hoc ex-  
plodendum esse præcepit §. 26. En-  
conformitatem Reformationis.

*Baptismi Reformatio II.*

**A**Liud de baptismo placitum docent Institut. lib. 4. cap. 15. §. 7.  
 „ Certissimum esse, idem prorsus suis-  
 „ se Joannis ministerium (in bapti-  
 „ zando) quod Apostolis postea de-  
 „ legatum est. Quare neminem  
 „ perturbet, *inquiunt*, quod alterum  
 „ ab altero discernere VETERES  
 „ contendunt in ministerio Joannis,  
 „ quorum non tanti NOBIS esse de-  
 „ bet calculus, ut Scripturæ certitu-  
 „ dinem quatefaciat. Iterum  
 quærit Paulus : An igitur à vobis  
 Verbum Dei processit ? aut in vos  
 solos pervenit ?

*Baptismi Reformatio III.*

**C**redidit orthodoxa vetustas ba-  
 ptisma conferri in remissionem  
 peccatorum (in Symbolo Constanti-  
 nopol.) baptizari unumquemque in  
 re-

remissionem peccatorum, Act. 2. 38.  
Baptismo peccata ablui, Act. 22. 16.  
Mundari nos lavacro aquæ. Ephes. 5.  
Salvos fieri baptismate. 1. Petr. 3. 21.

Quid Reformati? Negant hæc fieri per baptismum. Sed hunc signum duntaxat esse, sigillum & consignationem factæ jam antè remissionis. Imò negant auferri, aut ablui peccata; sed remanens post baptismum peccatum obtegi duntaxat, & non imputari. Igitur cavendum præcipit Institutio, nè sui in errorem inducantur per ea, quæ hyperbolice ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulò magnificenter à Veteribus scripta sunt. Idem scilicet caveant oportet, nè à Verbo Dei, & sacris literis in errorem inducantur, ubi non pauca hyperbolice, ut iis placet, scripta invenient, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulò magnificenter à Deo dicta pronuntiabunt.

*Baptismi Reformatio IV.*

**Q**UOD autem multis abhinc annis  
 (inquit Institutio lib. 4. c. 15.  
 „§. 20.) adeoque ab ipso ferè Ecclesiaz  
 „exordio usu receptum fuit, ut in  
 „periculo mortis laici baptizarent, si  
 „minister in tempore non adesset;  
 „non video, quām firmā ratione de-  
 fendi queat. Non vides? Colly-  
 rio inunge oculos tuos, ut videas.  
**A**pocal. 3. Non vides, quām firmā  
 ratione defendi queat? Confiteor ti-  
 bi Pater Domine cœli & terræ, quia  
 abscondisti hæc à sapientibus, & pru-  
 dentibus, & revelâsti ea parvulis.  
**Matt. II.**

*Baptismi Reformatio V.*

**R**ITUS quosdam, & cæremonias cir-  
 ca baptismi administrationem  
 adhibuit vetus Ecclesia. Omnia  
 damnant & conspuunt reformati. In-  
 venta

venta est ( inquit Institut. lib. 4. c. 15. §. 19.) benedictio vel potius incantatio aquæ, quæ veram aquæ consecrationem pollueret. Ità Novator.

Quid Veteres? August. lib. 6. contra Julian. Donat. c. 8. Crucis signo, inquit, obsecratur unda baptismalis, ut eâ deleatur reatus.

Pergit reformatio. Additus est postea cereus cum chrismate; exsuffratio verò januam ad baptismum aperire visa est. Audiatur Augustinus ibid. c. 2. Tu ipse ab orbe toto exsufflandus es, si huic insufflationi, quâ princeps mundi à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses. „ Etsi autem me non latet ( *progeditur Calvin.* ) quâm vetusta sit adven- „ titiæ hujus farraginis origo; respue- „ re tamen mihi, & piis omnibus fas „ est, quidquid ad Christi institutio- „ nem addere ausi sunt homines. Quid iſtis facias? Dii similes facti ho-

mi-

94 *Tract. II. Ven. P. Luce Kolich*  
minibus descenderunt ad nos. Act.  
14. cæteri homines sunt. Sed au-  
diant gigantes illi semidei de his ho-  
minibus pronuntiatum Veritatis, Lu-  
cæ 10. Qui vos audit, me audit ; &  
qui vos spernit, me spernit. Qui au-  
tem me spernit, spernit eum qui mi-  
fit me.

Plus ultrà exerunt linguam , &  
acuunt dentes. , Quum autem vi-  
deret satan stultâ mundi credulita-  
te , absque negotio , ferè inter ipsa  
Euangelij exordia receptas esse suas  
imposturas , ad crassiora ludibria  
prorupit. Hinc sputum, & similes  
nugæ palam in baptismi probrum  
effreni licentia invectæ,&c. Nota  
Lector effrené Novatoris maledicen-  
tiam. Fatetur illos ritus inter ipsa ferè  
Euangelii exordia , id est , Apostolo-  
rum temporibus receptos, & usitatos  
fuisse : & audet appellare stultam  
credulitatem , & satanæ imposturas.

In-

Inscribe ejus fronti, quā tamen caret :  
Calvinus dixit. Piis istis hominibus,  
quidquid ad salivam non fuerit, eti-  
am facta divina , fas erit respuere,  
proculcabunt sputum & lutum, quo  
Dei sapientia inunxit cæci oculos.  
Joan. 6. Causam in promptu habent ;  
Nempe istæ, inquietunt, frigidæ, & hi-  
strionicæ nugæ nullum alium affe-  
runt usum , nisi ut stupentis populi  
sensem fallant. lib. 4. c. 17. §. 43.

*In omnibus damnant orthodo-  
xam antiquitatem.*

**S**I quis vetustate tueri hujusmodi  
,, inventiones velit, nec ipse igno-  
,, ro, quām vetustus sit chrismatis, &  
,, insufflationis in baptismo usus. Sed  
,, isthæc scilicet humanæ confidentiæ  
,, procacitas est , quæ se continere  
,, nequit, quin semper in Dei myste-  
,, riis ludat, & lasciviat. En obser-  
van-

96 *Tract. II. Ven. P. Lucae Kolicb*  
vantia erga sanctam antiquitatem ;  
en conformitas Reformati Christia-  
ni. Non est bona gloriatio vestra.  
1. Cor. 5. Pronuntiavit de id ge-  
nus hominibus Judas Apost. Hi au-  
tem quæcunque quidem ignorant ,  
blasphemant. Vx illis , quia in via  
Cain abierunt , & in contradictione  
Core perierunt.

Tandem de Sacramentis sic con-  
cludit Reformatio lib. 4. Instit. c. 18.  
§. 19. & 20. „ Præter hæc duo Sacra-  
„ menta , ut nullum à Deo institu-  
„ tum est , ità nec ullum agnoscere  
„ debet Fidelium Ecclesia. His er-  
„ go duobus contenta sit Christiana  
„ Ecclesia : nec modò ullum aliud  
„ tertium ad præsens admittat , aut  
„ agnoscat , sed nè appetat quidem ,  
„ aut expectet ad consummationem  
„ usque seculi. Talia Institutio  
præcipit.

*Sacramentum Pœnitentie  
& Ordinis.*

**A**T nunquid summè appetendum illud, quod Ecclesiæ suæ in usum maximè necessarium, & quotidianum Christus instituit Joan. 20. v. 22. dum hominibus potestatem peccata remittendi impertitus est. De quo etiam consentit Reformato lib. 4. Inst. c. 14. §. 20. Impositionem manuum, quâ Ecclesiæ ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior vocari Sacramentum: itâ inter ordinaria Sacra menta non numero. *Non invitus patior*, inquit. Hæc ipsi est decernendi, & statuendi Regula. Sic volo, sic jubeo.

At certè cum primis ordinariis, necessarium, & quotidianum est Sacramentum; & numeravit inter ordinaria & præcipua Augustinus tom. 7. lib. 2. cont. Epist. Parm. c. 13. Ubi

E

or-

98 *Tract. II. Ven. P. Lucæ Kolich*  
ordinationem in ratione Sacramentii  
baptismo æquiparat His verbis: Ut-  
rumque enim Sacramentum est: il-  
lud cum baptizatur, istud cum ordi-  
natur, &c.

### *Sacramentum Confirmationis.*

**C**onfirmationem ludibrio habent  
Reformati. At venerabundus  
agnoscit Augustin. lib. 2 cont. lit. Pe-  
til. c. 104. Hoc Sacramentum chris-  
matis, inquit, in genere visibilium si-  
gnaculorum sacrosanctorum est, sicut  
ipse baptismus..

### *Sacramentum Extrema Unctionis.*

**D**E extrema unctione Calvinus  
haec scribit in Comment. ep.  
Jac. 5. Fateor equidem pro Sacra-  
mento usurpatam fuisse à Christi di-  
scipulis. Neque enim illis assentior,  
qui medicamentum fuisse putant.  
Tum paucis interjectis: Ita nobis, in-

quit, certamen non est, an unctio fuerit aliquando Sacramentum, sed an nobis data fuerit, ut hodie quoque apud nos sit in usu. Hoc posterius, inquit, negamus nos Reformati. Estne istud Apostolicæ Fidei ac religionis, Sacramentum ab Apostolis usurpatum abrogare, & rejicere?

At confirmant Veteres, pertinere ad nos cæremoniam, & promissionem! Oriens & occidens, Latina & Græca Ecclesia consentiunt.

### *Cætera omnia Sacra menta.*

**D**Enique fatentur, præeunte verba Calvino lib. 4. Instit. c. 18. §. 19. Illa de septem Sacramentis opinio omnium férè sermone trita, scholásque ac Conciones omnes per vagata, vetustate ipsâ radices egit. Quid adhuc egemus testibus? Fatentur, dogma esse vetus, in Ecclesia per orbem diffusa constanter tra-

100 *Tract. II. Ven. P. Luce Kolich*  
ditum, radicatum. Cur id evellere  
ipsi contendunt? Septem columnas  
in domo sua excidit sapientia. Pro-  
verb. 9. cur eas evertunt? Sunt se-  
ptem sigilla. Apocal. 5. quibus liber  
obsignatur: cur ea convellunt? se-  
ptem Agni cornua ibid. quibus ho-  
stes ventilantur: cur ea conterunt?  
septem stellæ, cap. 1. in mystico Ec-  
clesiæ cœlo relucentes: cur eas of-  
fuscant? septem lucernæ, Zach. 4. in  
tabernaculi candelabro effulgentes,  
oleo abundanter fluente nunquam  
deficientes, nunquam luminis exor-  
tes. Cur eas Reformati extinguunt?  
Et quid opus quæstionibus?

Accipiant sententiam à Luthero,  
quem Calvinus pro insigni Apostolo  
Christi habet, per cuius os ipse Deus  
fulminaverit. Tom. 3. Lat. Wittem.  
in Psal. 82. ex hoc igitur accipiant  
fulmen divinum. Non diu dispu-  
tandum, sed indictâ causâ, & inaudi-  
ti

*Apologie pro Domo Dei.*  
ti damnandi sunt, ut palam blasphemii, qui contra generales Ecclesiarum articulos aliquid novare satagunt. Nam tales articuli recepti in tota Ecclesia satis auditи sunt, satis excussi, & approbati, satis firmati per Scripturam, per virtutes & miracula, per sanguinem Martyrum, per scripta, & confessionem Ecclesiarum; nec ullo modo ferendus ullus sapientulus, qui illos revocare velit in dubium. Correctionem habuit Balaam suæ vesciniæ, dum subjugale mutum animal voce hominis loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. 2. Pet. 2.

Erat terra labii unius, & sermonum eorundem; isti confundunt linguas, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Ut Babylonem (confusionem) suscitent, moliuntur ruinam civitatis Dei, quæ conjuncta est sibi pariter, cuius participatio ejus in id ipsum.

Primus Babylonis, qui azoticè (deprædatoriè) loqui cœpit Lutherus, sic in libro de Captivitate Babylonica insit: Principiò mihi neganda sunt septem Sacra menta, & tria tantum pro tempore ponenda, baptisma, poenitentia, panis. Quanquam si ex usu, inquit, Scripturarum loqui velim, nonnisi unum habeant Sacramentū. Jam ecce fundamenta Babel jacta sunt. Hoc veluti classico centimanus iste Briareus cœlo rebellis socias concivit in arma cohortes, linguis quidem inter se se divisas, & plus quam hostiliter discordes; attamen in oppugnanda Dei domo, ejusque convellenda unitate mirè concordes. Et hoc est, quod nominant Ecclesiæ reformationem; ut scilicet reformati lupi ovile.

Qui regis Israël, intende, qui deducis velut ovem Joseph. Domine Deus virtutum, vineam plantâsti, &

ra.

1813

radices ejus: & implevit terram. Ut quid destruxisti maceriam ejus , & vindemiant eam omnes , qui PRÆTERGREDIUNTUR VIAM. Exterminavit eam aper de silva , & singularis ferus ferus depastus est eam. Deus virtutum convertere ; responce de cœlo , & vide & visita vineam istam , & perfice eam, quam plantavit dextera tua. Ps. 79.

Persequamur Reformationis reliquias deformationes,

### *Justificationis deformatio.*

**D**Octrinam de Justificatione Fidei præcipuum sustinendæ religionis cardinem esse docet Institutio lib. 3. c. 11. §. 1. Quid hîc agunt Reformati?

Lutherus primipilus tract. de sum. Mand. Dei. Ego neminem , inquit, scio , qui de Fide & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apostolis.

104 *Tract. II. Ven. P. Lucæ Kolich*  
In cæteris libris omnibus id non in-  
venitur.

Calvinus ipsummet, quem aliás  
unicè captat Augustinum ex hac are-  
na depellit. Lib. 3. Instit. c. 11. §. 15.  
sic habet: Ac nec Augustini quidem  
sententia per omnia recipienda est;  
quia gratiam ad sanctificationem re-  
fert, quâ in vitæ novitatem per Spi-  
ritum S. regeneramur, &c.

Centuriatores per singulas æta-  
tes proferunt sententias Veterum,  
fatentürque, Ecclesiæ Veteris doctri-  
nam modernæ reformationi adver-  
sari.

Melancht. in 1. Cor. 3. queritur,  
statim initio scriptores Veteres do-  
ctrinam de iustitia fidei obscurâsse.

Fatetur Calvin. c. 15. §. 2. passim  
vetustos Ecclesiæ Scriptores uti me-  
riti vocabulo, sed per hoc Fidei sin-  
ceritati pessimè consuluisse. Vides  
Lector, dissidere Reformatos in re-  
ligio-

ligionis cardine ab orthodoxa antiquitate.

*De Concupiscentia deformatio  
orthodoxie.*

**D**E concupiscentia, quæ in rena-  
tis remanet, fatenter similiter,  
discrepare se à Primitiva Ecclesia. In  
lib. 3. Inst. c. 3. §. 10. inquit Calvin.  
„Neque opus est multum investi-  
„gando laborare, quid hīc Veteres  
„senserint: quando unus Augusti-  
„nus sufficere ad id potest; qui fide-  
„liter magnāque diligentia omnium  
„sententias collegit. Ex illo igitur  
„sumant Lectores, si quid de sensu  
„antiquitatis certi habere volent. Be-  
ne hactenus. Porrò, inquit, INTER  
„ILLUM ( id est , inter totam or-  
„thodoxam antiquitatem ) & NOS  
„hos discrimen videri potest inter-  
„esse: quod ipse quidem - eum  
„morbum peccatum vocare non

„audet; sed ad illum designandum  
„infirmitatis nomine contentus, tum  
„demum fieri peccatum docet, ubi  
„vel opus vel consensus accedit, hoc  
„est, quando appetitui cedit volun-  
„tas. Nos autem illud ipsum pro  
„peccato habemus, quod aliquam om-  
„nino cupiditate contra legem Dei  
„homo titillatur; immo ipsam pravi-  
„tatem, quæ ejusmodi cupiditates in  
„nobis generat, asserimus esse pec-  
catum. En quām modicum discri-  
men videri interesse potest inter re-  
formatos & Augustinum; nempe pec-  
catum, & non peccatum. Camelum  
glutire illis modicum est. Perpe-  
ram igitur Augustinus sensit totaq;  
Ecclesia. Quidni familiarem sibi  
gnomen usurpat: Quid visum sit Au-  
gustino, nihil moror: Nos quid ve-  
rum sit, inquiramus.

Respondete Tertulliano (lib. de  
Præscript. Hæret.) Qui estis vos? Un-  
de

de & quando venistis? Ubi tamdiu latuistis? Age nunc omnes Ecclesiæ erraverint: nullam respexerit Spiritus S. ut eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut Doctor esset Veritatis; aliquos Marcionitas, & Valentinianos (N. N.) liberanda Veritas exspectabat: interea perperam euangelizabatur. Respondendum huic quæstioni.

Jacobi Apostoli sententiam accipite. cap. i. Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus; deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum. Ità certè Apostolus: Nos autem Reformati contrà, illud ipsum pro peccato habemus, quod homo aliquâ cupiditate tentatur, illicitur, titillatur: imò ipsam illam concupiscentiam asserimus esse peccatum. Aptè huc cadit epiphonema reformatoris: Quare

108 Tract. II. Ven. P. Luca Kolich  
neminem perturbet, quod alterum  
ab altero discernere cum Jacobo aut  
Ecclesia contendit Augustinus.

## Liberum arbitrium de- formatum.

**N**Ova facit omnia Reformator in lib. 2. Instit. c. 3. §. 10. „ Vo- „ luntatem, *inquit*, Deus movet, non „ qualiter multis seculis traditum est, „ & creditum, ut nostræ postea sit „ electionis, motioni obtemperare, „ aut refragari. Sed illam efficaciter „ affiendo. Illud ergo toties à Chry- „ sostomo repetitum repudiari neces- se est: *Quem trahit, volentem trahit*. Ità Novator, per multa illa secula intel- ligens omnem retrò orthodoxam an- tiquitatem; & in uno Chrysostomo omnes Veteres Doctores condem- nans.

Centuriatores in Præf. 2. secul. la-  
mentantur, tam citò magnas obscu-

rationes magnorum articulorum fi-  
dei sensim incidiisse; nam doctrinam  
de libero arbitrio statim hoc seculo  
cœpisse vitiari. Tum cap. 4. Nul-  
lum ferè doctrinæ locum tam citò  
obscurari cœpisse, atque hunc de li-  
bero arbitrio.

Clarissimè Witakerus de Eccl.  
qu. 5. c. 7. Verum est, inquit, quod  
Calvinus ait, & qui Centurias scri-  
pserunt, in multis erratum esse à Ve-  
teri Ecclesia: ut de limbo, de libero  
arbitrio, de operum meritis &c. Vi-  
dete quid audiatis, ô Reformati. Cal-  
vinus verax est, dum Ecclesiam plu-  
rium mendaciorum condemnat. Ve-  
rūmne igitur est, quod volunt Re-  
formati, in multis erratum esse ab  
Ecclesia? Si verum hi dicunt; men-  
dax ergo est Deus, ità protestans  
Isai. 59. 21. *Hoc fædus meum cum eis, di-  
cit Dominus: Spiritus meus, qui est in te,  
& verba mea, quæ posui in ore tuo, non re-  
cedent*

110 Tract. II. Ven. P. Luc & Kolich  
cedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de  
ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodè  
& usque in sempiternū. Mendacem con-  
stituunt Veritatem, quæ ore suo pro-  
nuntiavit Matt. 18. *Super petram ædi-  
ficabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non  
prævalebunt adversus eam.* & Joann. 14.  
& 16. Spiritus Veritatis manebit vo-  
biscum in æternum, & docebit vos  
omnem veritatem. Mendax Pau-  
lus, qui Ecclesiæ tribuit elogium, es-  
se columnam, & firmamentum veritatis.  
1. Tim. 3. 15. quomodo enim colum-  
na & firmamentum, si jam inde ab  
initio non stetit in veritate? Est au-  
tem Deus verax, omnis autem ho-  
mo mendax, sicut scriptum est: Men-  
daces isti filii hominum in stateris, ut  
decipient ipsi de vanitate in idipsum.  
Ps. 61. Væ filii desertores, dicit Do-  
minus, ut faceretis consilium, & non  
ex me: & ordiremini telam, & non  
per spiritum meum, ut adderetis  
pec-

*Apologia pro Domo Dei.* III  
peccatum super peccatum. Isai. 30.

Os Ecclesie os Dei est. Maledi-  
ctus qui exasperat Matrem suam  
Eccli. 18. Qui maledicit Matri, ex-  
tinguetur lucerna ejus in mediis te-  
nebris. Prov. 20. 20. Denique sen-  
tentiam à Judice latam habes : Qui  
Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut  
Ethnicus, & Publicanus. Matt. 18. 17.  
Cui jam credas, ô Reformati? Chri-  
sto Calvinum, an Calvino Ecclesiam  
condemnanti ?

### *Observatio Legis Divinæ pessumdata.*

**Q**uid impossibilem legis obser-  
vationem diximus, solet vulgo  
absurdissima sententia videri: ita ut  
Hieronymus (*in explan. symb. ad Da-*  
*mas.*) non dubitaret anathema illi  
denuntiare. Quid visum sit Hie-  
ronymo, nihil moror; nos quid ve-  
rum sit, inquiramus. *lib. 2. Instit. c. 7.*

§. 5. Nolite gloriari; & mendaces es-  
se adversus veritatem ; non est ista  
Sapientia desursum descendens , sed  
terrena , animalis , diabolica. Jac. 3.

In omnibus Scripturis tibi Deus di-  
cit, quia potes; tu è contrario respon-  
des ; non posse. Considera nunc ,  
utrùm tibi, an Deo debeat credi : &  
ideo, quia Veritas mentiri non po-  
test , vanas excusationes relinquat  
humana fragilitas. Quia nec impos-  
sibile aliquid potuit imperare , qui  
justus est, nec damnaturus est homi-  
nem pro eo , quod non potuit vita-  
re. Ità Augustin. serm. 61. de Temp.  
Quæ cùm ità sint : an non necessa-  
riò doctrinam sic deformatam ùt sa-  
cilegam anathemate ferit Hierony-  
mus ; ùt blasphemam execratur Au-  
gustinus ( serm. 91. de Temp.) dam-  
nat ùt impiam Basilius ( in 1. Tim. 4.  
v. 16.) in illud, *Attende tibi.*

*Limbus Patrum & Christi  
descensus.*

**N**escio, quâ factum sit, inquit Calvin. lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9.  
„ut posteritas locum putaret esse  
„subterraneum , cui affinxit nomen  
„limbi. Sed hæc fabula, tametsi ma-  
„gnos authores habet ( *puta Justinum,*  
*Ambrosium, Hieronymum, Augustinum &c.*)  
„nihil tamen quam fabula est. Par-  
cius ista Viris, ô Reformati ! parcius  
Ecclesiæ, ad cujus exemplar forma-  
tos vos gloriamenti. Sed pergit Re-  
formator errare suâ lirâ. „ Nam  
„concludere, *inquit*, in carcere mor-  
„tuorum animas, puerile est. Sic-  
ne puerile etiam dices, Christum de-  
tentis in carcere spiritibus , τοῖς ἀ  
Φυλακῆς πενίμασιν prædicasse. 1. Petr.  
3. 19. Angelos item, qui non serva-  
verunt suum principatum, sed dere-  
liquerunt suum domicilium, vinculis

æter-

¶  
Tract. II. Ven. P. Luce Kolich  
æternis sub caligine reservari. Judæ 6.

„ Christi autem animam , inquit , „ illuc descendere , ut eas manumit- „ teret , quid opus fuit ? „ O homo , tu quis es , qui disputes cum Deo , quid ita facis ? Quid opus fuit , in- quies , Filium Dei descendere pri- mūm in inferiores partes terræ , ut eriperet nos de potestate tenebra- rum , & transferret in regnum ? Quid coenare necesse ? quid pane & vino opus , ut mors Domini annuntietur ? non est Regnum Dei esca & potus . Quid opus aquæ elemento in remis- sionem , & ablutionem peccatorum ? Stat certè firmum promissionis ver- bum : nec eget signaculis infirmo- rum , & egenorum elementorum ve- ritas Dei . Quid igitur omnibus his , inquies , opus fuit ? & hac ratione quid non labefacies ? quid non ever- tes ? Fideles nos esse oportet , non disputatores . Quare hoc ? quid ne- cessere illud ? Qua-

Quare serpentinum Hæreticorum evertit Paradisum, Ecclesiam.

Attamen credunt Reformati descendens Christi ad inferos. Et hunc in præcipuis Fidei Christianæ articulis numerat Calvinus. Quid verò sit reformatus hic descensus, audi. Nihil aliud, inquit, nisi diros Christum in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse: desperatione obrutum ab invocando Deo abstinuisse, quod erat saluti renuntiare. Ità Reformator. Quis audivit unquam talia horribilia?

*Preces pro defunctis.*

**P**ro defunctis usitatas fuisse in primitiva Ecclesia preces, ultro fatentur. Zwingl. in epich. de Can. Mis. Orandi, inquit, & sacrificandi pro defunctis morem Chrysostomus, & Augustinus ab Apostolis usque manasse tradiderunt. Eius collega Bul-

ling.

ling. dec. 4. ser. 40. verum esse ait,  
quod Papistæ dicunt; Veteres orâ-  
sse, & sacrificâsse pro defunctis, citâ-  
que Augustin. serm. 32. de Verb. A-  
post. A Patribus traditum universâ  
observat Ecclesia, ut pro orthodoxis  
Sacrificium Corporis, & sanguinis  
Christi offeratur. Calvin. de ve.  
Eccl. refor. rat. agnoscit vetustissi-  
mam hanc consuetudinem, eâsque  
preces à Chrysost. Epiph. August. to-  
ta denique antiquitate orthodoxa  
receptas fuisse. Et lib. 3. Instit. c. 5.  
§. 10. admittit ante mille & trecen-  
tos annos usu receptum fuisse, ut  
precationes ejusmodi fierent. Hæc  
ipsi de antiquitate confitentur: de  
se verò quid? Audi reformatorem.  
„Abrepti etiam ipsi, *inquit*, Veteres,  
„fateor, in errorem fuerunt. Nem-  
„pe ut inconsiderata credulitas pri-  
„vare judicio solet hominum men-  
tes &c. Confessus es, ô homo, non  
bonam

bonam confessionem. Confiteris, Doctores, & Pastores, quotquot Christus ipse dedit in opus ministerii, in ædificationem Corporis sui, omnes inconsideratâ credulitate, iudicio & mente privatos fuisse; fatigatis, quotquot ante te venerunt, fures, seductores, & latrones extitisse. In summa, confiteris, totam Christi Ecclesiam annis amplius mille trecentis à veritate, & Christo apostatâsse, orbémque universum erroribus seduxisse. Talia confiteris. Confiteri rei est: hac nempe confessione reus es factus læsæ summæ Majestatis. De ore tuo, ait Dominus, te iudico servare nequam. Et ex verbis tuis condemnaberis. Confessio olim tua bona fuit, quâ profitebaris: authoritatem Ecclesiæ sic à Deo commendari, ut cùm illa violatur, suam ipsius imminutam censeat. Jam agnosce, in quem, & quâm enormiter deliqueris

118 Tract. II. Ven. P. Lucæ Kolich  
ris tuâ illâ in Ecclesiam tam contumeliosâ confessione. Contestatur  
cœlos & terram lamentans Ecclesia  
Mater: Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi  
autem spreverunt me. Isai. I. Alienati sunt  
à vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt  
falsa. Euror illis serpentis, & aspidis sur-  
dæ & obturantis aures suas. & cætera.  
Qui legit, intelligat. Psal. 58. Filii alieni-  
mentiti sunt mihi, inveterati sunt, & clau-  
dicaverunt à semitis suis. Ps. 17. Peccatum  
suum quasi Gomorrha prædicaverunt. Væ  
animæ eorum. Isai. 3. „ Clamandum  
„ ergo ( inquit §. 6. ) non modò vo-  
„ cis, sed gutturis, ac laterum con-  
„ tentione, Purgatorium exitiale sa-  
„ tanæ esse commentum, quod Chri-  
„ sti crucem evacuat, quod contu-  
„ meliam Dei misericordiæ non fe-  
„ rendam irrogat, quod fidem no-  
„ stram labefacit, & evertit. -- me-  
„ ram eamque horribilem in Chri-  
„ stum blasphemiam., Agnitio vul-  
tus

tūs eorum respondit eis. Nè respondeas stulto juxta stultitiam suam, nè efficiaris ei similis. monet Sapiens. Prov. 26.

### *Satisfactio.*

**P**Arum autem me movent, (pergit lirā cādem delirare) quæ in Veterū scriptis de satisfactione passim occurunt. Video eorum nonnullos (dicam simpliciter, omnes ferè, quorum libri extant) aut in hac parte lapsos esse, aut nimis aspere, & durè loquutos &c. Ità Novator lib. 3. c. 4. §. 38. Impius cùm in profundum venerit, contemnit, sed sequitur eum ignominia. Proverb. 18. Itaque præcipit rursum Sapientia c. 26. Responde stulto juxta stultitiam suam, nè sibi sapiens videatur. Respondet Augustinus epist. 118. c. 5. Quæ in toto orbe servat Ecclesia, de his disputare, quin ità faciendum sit, insolentissimæ insanijæ est.

*Cultus & Invocatio  
Sanctorum.*

**B**EZA in Præf. ad Nov. Test. Ipsa, inquit, temporum historia manifestè probat, optimis etiam illis temporibus eam fuisse Episcoporum partim ambitionem, partim facilitatem, & ignorantiam, ac multorum etiam apertissimam, & desperatissimam improbitatem, ut satanam planè cœtibus eorum præfuisse vel ipsi cæci facillimè perspiciant; jam enim jaciebat satan prima mortuorum invocationis fundamenta. Sic ille. Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis, quia vides mus, peccatum vestrum manet. Jo- an. 9. Nominare Episcopos illorum temporum ambitiosos, ignorantes, apertissimâ desperatissimâque improbitate, quorum cœtibus satan ipse præfuerit. Eos recenset Centuria- rum

rum historia : Justinos nempe, Cyprianos, Athanasios, Basilius, Ephrem, Gregorios, Ambrosios, Chrysostomos, Hieronymos, Augustinos : totam deniq; orthodoxam antiquitatē. Huic tu cōtui præsedisse satanam ? Si optima erant tempora, & orthodoxia ~~περισσός αὐτοῦ~~, ut ipsi patentur, pervernerat ; quomodo Ecclesiam Dei satan regebat ? Si Veritas lucebat Ecclesiæ : quomodo tenebræ ? Si Christus aderat : quomodo portæ inferi prævaluerunt ? Mentita est iniquitas sibi ; & impingere fecerunt in semetiplos ipsam linguam suam. Os stulti contritio ejus, & labia ipsius ruina animæ ejus. Prov. 18. 7.

ALTER Reformatæ scilicet veritatis Martyr insurgit contra Sanctorum Invocationem ; & acutè, pro ingenio & more suo sciscitatur, *Quis eousque longas Sanctis esse aures revelaverit, quæ ad voces nostras porriganter?*

oculos tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent? Lib. 3. Inst. cap. 20.

§. 24. Respondeat prius ipse, quis Paulo aures eousque longas, & oculos perspicaces esse revelarit, ut Christum in cœlo confidentem & videre posset, & audire? Act. 9. & 22. &c. Virtute id divinâ auctoratum esse. Si recte respondisti, applica sis tibi veritatem.

Dic quæso, Elisæus cujusmodinam egebat auribus, quæ ad voces Regis exaudiendas in intimum usque conclave porrigerentur. 2. Reg. 6. v. 12. aut lynceis oculis, quibus servi longius absentes avaritiæ invigilaret? Nónne cor meum, inquit propheta, in præsenti erat? c. 5. 26. Poterant olim è terris in cœlos usque porrigi Stephani oculi, ut viderent JESUM stantem à dextris Dei, Act. 7. quidni & modò è converso. Non enim hebetior nunc effectus est,

irat' 2.

ἰσαγγελοὶ Angelis æqualis. Et quomodo innotescunt Angelis in cœlo opera quæ à pœnitentibus peraguntur in terris. Luc. 15. 7. 10. Sunt solliciti (inquit Beza in c. 2. Epist. Joan.) de laborantium fratrum salute , suō, nobis incompertō modō.

*Cælibatus deformatus , &  
Vota Monastica.*

**C**onfigit veteres orthodoxos Calvin. lib. 4. Instit. cap. 4. §. 10. „Peccârunt , inquit, hîc nonnihil immodicâ severitate, quòd plus requiri, rere voluerunt in Episcopo , quam Paulus requirat : ac præsertim successu temporis cælibatum.

Et c. 13. §. 17. fatetur , hoc ab ultima memoria fuisse observatum , ut se alligarent continentiaz voto , qui totos se Domino dicare vellent. „Fateor certè, inquit, antiquitus quoque receptum fuisse hunc morem :

„ sed eam aetatem sic ab omni vitio  
„ liberam fuisse non concedo , ut pro  
„ regula habendum sit, quidquid tunc  
„ factum est. „ Hoc vocant Reformer-  
mare, si deformant Veterem Eccle-  
siam. Aptè Reformatores dicti eo  
sensu , quo tres illæ sorores Erebi &  
noctis filiæ dicuntur Parcæ, quæ nul-  
lius vitæ parcunt : sic isti Reforma-  
tores , quod nullum non deformant  
Christianæ Religionis dogma , & san-  
ctum , aut honestum institutum.

Numerant in vitiis perpetuam  
continentiam in iis , qui totos Deo  
dicare se vellent ; negantque istius-  
modi regulam sequendam esse. Ci-  
cero rogatus ab Hirtio , ut post Te-  
rentiæ repudium sororem ejus du-  
ceret , negavit dicens : Non posse se  
uxori , & Philosophiæ simul dare ope-  
ram. Non probabit hanc Philosophi  
regulā reformatoř Ecclesiæ. At quid  
Apostolo faciet ? cuius utique regu-  
la

la hæc est 1. Cor. 7. 32. „ Volo au-  
„ tem vos sine solicitudine esse , qui  
„ *sine uxore* est , sollicitus est , quæ Do-  
„ mini sunt , quomodo placeat *Deo*.  
„ Qui autem *cum uxore* est , sollicitus  
„ est , quæ sunt *mundi* , quomodo pla-  
„ ceat uxori. Et mulier *innupta* & Vir-  
„ go cogitat quæ Domini sunt , ut sit  
„ casta corpore , & spiritu ; quæ autem  
„ *nupta* est , cogitat quæ sunt mundi.  
Quid ad hanc Apostoli regulam ?  
vitiosa , nec sequenda ? peccavit vas  
electionis talia præscribendo ? Por-  
rò hoc , *inquit* , ad utilitatem vestram  
dico , & ad id quod est honestum ,  
& facultatem præbeat , sine impedi-  
mento Dominum obsecrandi. Hoc  
melius , hoc beatius esse prædicat  
Apostolus , secundūm Spiritum Dei :  
igitur ex maligno spiritu reprehen-  
dit Ecclesiæ illum morem reforma-  
tio , quem sanctissimè observârunt  
Apostoli ; ut nempe viduz ipsæ , quæ

totos se Ecclesiæ, & Sanctorum ministerio vellent dicare, perpetuâ continentia se alligarent : eo planè pâdô, ut si nuptias deinceps cogitarent, hōc ipso post satanam converti, & damnationem habere, pronuntiet Apostolus ; quia primam fidem, inquit, irritam fecerunt. *Quid est, Augustinus, primam fidem irritam fecerunt?* Voverunt, & non reddiderunt. In Psal. 73.

At plus requirebant in Episcopo, quam Paulus requirat. Dic, amabo, Apostolus quid ab Episcopo requirat ! Oportere illum continentem ἐγκεχτη̄ esse. Tit. I. v. 8. id est Cælibem. Nam incontinentibus permittit, & suadet nuptias. Quod si non se continent, nubant. εἰ δὲ ἐγκεχτεύονται, γαμησάτωσαν. I. Cor. 7. v. 9. Episcopum autem oportet se continere, continentem esse. Id est sine nuptiis, & cælibem agere.

*Quadra-*

*Quadragesimæ jejunium deformatum.*

**N**ullus extitit Veterum jam inde ab Apostolorum ætate, qui non meminerit Quadragesimæ, ut rei sacræ, & celeberrimæ. Itaque mirum est, inquit moderatissimus Bellarminus, si non opprimatur hæreticorum impudentia, & præsertim Calvini, qui in lib. 4. Instit. cap. 12. §. 20. dicere ausus est, *jam tunc invalusse superstitionem Quadragesimæ observationem.* Quomodo enim superstitione dici potest, quæ ab Apostolis per doctrinam Spiritus S. instituta, omnibus seculis post Apostolica tempora succendentibus, ab omnibus Conciliis omnibusque Patribus, Græcis, & Latinis celebrata est? Ita Cardinalis.

# SIGNUM S. CRUCIS, EIUSQUE VENERATIO PROCULCAT A.

**S**ED IAM tetris diu jactati procellis, aliquando velis contractis sacram de puppi jaciamus anchoram ; imò triumphale Crucis erigamus trophæum. Fuit enim semper Militantis Ecclesiæ hoc vexillum signum Fidei , nota & character, quo veri fideles à quibusvis infidelibus , & Fidei Sanctæ , Deique hostibus diagnoscerentur. Ipsam Crucem de diabolo superato tanquam trophæum in frontibus NB. fidelium positurus erat, inquit August. tract. 36. in Joan. signum hoc Thau apud Ezechielem c. 9. v. 4. & 6. Apocal. 7. 3. jubetur supra frontes gementium, & servandorum signari ; quod in fine mundi character fidelium Dei servorum erit,

rit, oppositum signo bestiæ. Sicut nos gerimus, inquit Ambros. signum Crucis; ità Antichristus faciet omnes suum signum quasi characterem gestare. S. Ephrem tract. de Anti-chr. scribit: hunc positurum suum signum in frontibus, hac de causa, nè scilicet sit locus in fronte, in quo Crux formetur.

Est ergo Crux signum & nota Christi fidelium. Luculentè id testatur de primitiva Ecclesia Tertullianus vicinus Apostolorum. lib. de Coron. Milit. c. 3. Ad omnem, inquit, progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina & cubicula, ad sedilia; quæcunque nos conversatio exerceat, frontem signo Crucis terminus &c.

S. Ephrem Syrus Synodi Nicenæ alumnus, in lib. de Pœnit. hortatur:

F s

Pun.

Pingamus in januis , atque in frontibus , in ore & in pectoro , vivificum signum : armemur insuperabili hac Christianorum armaturâ.

S. Aug. tract. II. in Joan. Quid est, inquit, quod omnes noverunt, signum Christi , nisi Crux Christi ? quod signum nisi adhibetur sive frontibus credentium , sive ipsi aquæ , quâ regenerantur , sive oleo , quo chrismate inunguntur , sive Sacrificio , quo aluntur , nihil eorum rite peragitur. Audin' talia Reformatæ Christianæ : Sexcenta & millena Veterum de hoc suppetunt testimonia : multæ extant Sanctorum Patrum in venerationem , & encomium Sanctæ Crucis , déque ejus virtute luculentissimæ panegyres.

S. Athan. in Vita S. Anton. Hieron. in Vita Pauli Erem. Theodoretus lib. 5. hist. c. 21. plurima recensent miracula , quæ ad solum Crucis

signum Deus operatus est, ac potissimum in dæmonum expulsione.

S. August. lib. 22. de Civit. cap. 8.  
Sulpit. in Vita S. Martini, Hieron. in  
Vit. Hilarion. testantur varios mor-  
bos Crucis signo curatos.

Totius mundo notum est, quām il-  
lustres victorias reportaverit Con-  
stantinus Magnus, alteram de Ma-  
xentio tyranno, sub Annum Dom.  
312. Alteram sexennio pōst, solo Cru-  
cis auspicio, quæ aspectabilis ei in cœ-  
lo demonstrata erat, cum illis ver-  
bis: ἐν τέτω νίκᾳ. ut refert Euseb.  
in lib. I. de Vita Constant. c. 23. ubi  
addit, se id accepisse ab ipso Constan-  
tino, jurante rem ita se habere. Ita-  
que Imperator Deo obsequens, in  
præliis jussit semper deferri labarum  
Cruce insignitum, ad eam partem  
agminis, quæ magis laborabat: &  
quocunque labarum accessisset, mox  
etiam victoria sequebatur. Cūm

verò signifer id metu hostium irruentium reliquisset, necatus est; qui verò id de manu abjicientis excepit, nunquam feriri potuit: etiamsi innumerabilia propè tela in illum conjecta fuissent; omnia enim (mirabile dictu) in hasta Crucis infigebantur. Ità Euseb. lib. 2.

Devictò Maxentiò religiosissimus Princeps Romæ in loco celeberrimo erexit Crucem, cum hac epigraphe: Hoc salutare signum: & rursum, in dextera manu statuæ suæ Crucem apponi jussit, cum elogio: Hoc uno veræ fortitudinis signo Urbem vestram liberavi. Euseb. l. 1.

Ex his manifestum habes, Christiane Lector, quid de Cruce senserit, docuerítque orthodoxa Antiquitas.

E CONTRARIO verò gentiles, cæterique Dei, & Fidei Sanctæ hostes inimici quoque fuere Crucis, Christiani-

stianos Crucis Cultores damnabant superstitionis & idololatriæ. Sic enim exprobrabat Julianus ille: O miseros, inquiens, homines, qui signum Crucis adoratis: imagines illius in fronte, & ante domos pingitis. Huic apostata respondet S. Cyrill. Alex. in lib. in eundem Julian. Simili objectioni de ligneæ Crucis adoratione responderat jam multò antè Minutius Felix in Octavio. & Tertull. in Apologet. c. 6. ubi etiam meminit, jam tum in primitiva Ecclesia Christianos, ob S. Crucis venerationem appellatos ab Ethnicis Crucis religiosos.

Hanc hostilitatem hauserunt Infideles illi à Patre suo diabolo, qui utique nihil magis aversatur, quam trophæum illud, in quo (ut loquitur S. Athan.) Salvator aëreas expolians potestates, eas ostentui fecit.

*Reformatorum Fidei  
Magistri.*

**A**gnoscant proinde Reformati parentelam, majorésque suos, in quorum nempe subeunt vestigia. O miseros, inquiunt, Papistas, qui signum Crucis adoratis, imagines illius in fronte & ante domos pingitis. Quorum hæ voces, nisi Apostatarum, & Gentilium sunt?

Et quid dirius unquam à Gentilibus, & Infidelibus in Crucem perpetratum fuit, quod non itidem à Reformatis? Nónne hi Crucifixi Dei effigiem per carnifices & lictores humi deturbârunt? confregerunt, cloacis demerserunt, flammis concremârunt? Nónne eam hodiéque probrosè conspuunt? ut maledictum execrantur? procul è conspectu, & finibus suis proscribunt? Crucis signum in fronte, aut pectore efformare,

mare, ut superstitionem, & idololatriam horrent? In Augustinum quām procaciter involat Calvinus! Quām recte superstitionem, inquit, ritum Crucis inter symbola præsentia Christi numeret Augustinus, non dispu-to. Ecce non disputas? nempe quia qui disputat, veritatem inquirit, ait August. Dic ora, quorsum convertent sese aliquando id genus homines, ubi veniente Judice in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate, parebit quoque signum illud Filii hominis in cœlo. Matth. 24. De quo & olim Sibylla numine afflata cecinit lib. 6.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,

Nec te terra capit, sed cœli testa videbis,

Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Videntes turbabuntur timore horribili,

bili, poenitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Nos insensati! ergo erravimus à Via Veritatis! Viam autem Domini ignoravimus. Sapient. 5. Hæc autem initia sunt. Post hoc autem Judicium: Judicium durissimum filiis subtraktionis in perditionem. Non enim habebunt Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerunt habere Matrem. Non censemur inter oves Christi, qui segregarunt se ab ovili Christi; cum Angelis, qui dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservati. Judicium tenore consimili formabitur:

### [*Judicium in Reformatos.*] [

Quicunque ab Ecclesia, quam veram esse agnoverant, desciverunt, ii Deum & Christum abnegarunt, æternum perdit.  
Reformati ab Ecclesia, quam veram esse agnoverant, desciverunt;

*Apologiae pro Domo Dei.* 137  
Deum igitur & Christum abnegarunt, aeternum perdit.

### *Sententia.*

Sententia à Judice dictata prostat.

Matt. 25. v. 41.

Ante Judicium interroga teipsum.

Eccli. 18. v. 20.

### *[Animadversio circa Reformatores.]*

**H**Abes en Candide Christiane Lector propositam in theatro Reformationem: ejus exordia, progressus, finem denique. Quid ea sit, vel cæcus palpare potuit. Est nempe Reformatio hæc Ecclesiæ Christianæ deformatio, Fidei orthodoxæ evversio. Tentâsti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inventasti eos mendaces. Apoc. 2. 2. Reformationem promittebant, & restaurationem Veteris Ecclesiæ, & ecce deformatio, & destructio. Conversi

versi sunt in arcum pravum : con-  
versi sunt in die belli , & non serva-  
verunt pactum. Ps. 77.

Technas eorum , & perversam pro-  
bitatem observâsti. Primùm quidem  
commendant Ecclesiam divinis pla-  
nè elogiis : ad Veterum orthodoxi-  
am , tanquam Reformationis suæ ex-  
emplar provocant. Verùm nil nisi  
præstigiæ sunt. Facies locustarum  
abyssi tanquam facies hominum :  
caudæ verò scorpionum ; & in his  
nocent. Apocal. 9. Sub Antichristi  
Romani larva insectantur Christiana  
dogmata ; quæ ubi convitiis & ca-  
lumniis labefactârunt , eoque pacto  
incautè credulorum animos infasci-  
nârunt : tandem larvâ & fronte po-  
sitâ , in ipsam Veterem Ecclesiam im-  
pudenter insultant , condemnântque  
errorum , superstitionis , impietatis  
totam antiquitatem.

Sed enim ne sic denudati explo-  
dan-

dantur : utque novitatis vitent opprobrium ; rursum folia colligunt, è Veterum sententiis , quos jam jam damnârant , prætexunt perizomata , & ementito vetustatis fuso incrustant novitatem suam, manifesti prævaricatores. Qua in palæstra palmam fert Calvinus. Cùm enim in omnibus Fidei dogmatibus , ut allata nuper exempla probant , à Veteribus in contraria omnia discedat, eorundem tamen sententiis oppositam suam doctrinam spissè infercit , eo artificio , ut crassissimis licet hallucinationibus fallat incautum Lectorem.

Fingamus, Lector optime , prodire quempiam , assumpto apostoli , aut Doctoris nomine , qui de doctrina quam promulgaturus venit , auditores præmoneat ; esse videlicet illam toti orthodoxæ Ecclesiæ repugnantem : omnibus probatissimis licet Do-

140 Tract. II. Ven. P. Lucae Kolich  
Doctoribus, & Pastoribus ex diamet-  
tro oppositam ; qui protestetur, con-  
gredi se cum dogmatis & sententiis,  
quibus Ecclesia ejusque Doctores to-  
tum orbem corruerunt ; omnes  
proinde suos conatus eò tendere, ut  
pessimum datus atque abolitis omnibus  
veteribus dogmatis, & Ecclesiae insti-  
tutis, nova ipse faciat omnia. Porrò  
Reformationis hujus præcipua capi-  
ta se non ab homine accepisse, sed  
per revelationem, & institutionem  
ipsius satanæ. Hæc palam euange-  
lizare promptum esse, quibusunque  
ea libitum fuerit excipere. Cohor-  
rescis animo, auditis istiusmodi mon-  
stris.

Et nónne hæc ipsa sponte de se-  
ipsis profitentur Apostoli, & Docto-  
res reformationis suæ. Lutherus,  
Calvinus, cæterique symmystæ ? Est  
confessio ipsorum in manibus : pa-  
ginæ præsentes verba adnumerant.

Vi.

Vide quid audias reformatæ ! cujus-  
modi Magistris & Ducibus traditus  
sis. Memor esto itaque , unde ex-  
cideris, & age pœnitentiam : sin au-  
tem, movebo candelabrum tuum de  
loco suo. Hæc dicit , qui habet  
rhomphæam utraque parte acutam.  
Apoc. 2.

[ *S. Augustini commonitio.* ]

**C**oncludit Augustinus lib. de Util.  
cred. ad Honoratum cap. 18.  
Quamobrem si quid te vel oratio mea  
commovit ; & si veram , ut credo ,  
curam tui geris , velim me audias ,  
& bonis præceptoribus Catholicæ  
Christianitatis te piâ fide, alaci spe,  
simplici charitate committas : De-  
úmque ipsum , cuius unius & boni-  
tate facti sumus, & iustitiâ pœnas lui-  
mus , & clementiâ liberamur , ora-  
re non cesses. Ità tibi neque præce-  
pta, neque disputationes Doctissimo-  
rum

142 *Tract. II. Ven. P. Lucae Kolich*  
rum hominum, & verè Christiano-  
rum, neque libri, neque serenæ ipsæ  
cogitationes defuerint, quibus facile,  
quod quæris, invenias. Nam istos  
verbosos, & miseros, quid enim mi-  
tius aliud dixerim, penitus desere.  
Hæc Augustinus.

Cæterum si cui forte pro domo  
sua aduersum hactenus disputata pro-  
ferre quidpiam visum erit, is probè  
geminum observet monitum, ne-  
cessè est: alterum Dei, apud Zach.  
c. 8. Hæc dicit Dominus: *Veritatem*  
*tantum*, & pacem diligite. Alterum  
Siracidæ 32. Habeat caput respon-  
sum tuum. Caput summâque di-  
sputationis hæc est: Reformata, sive  
Calviniana religio sitne quoad fidei  
doctrinam, & dogmata Veteri Eccle-  
siæ conformis. Ιδε γόνος, ιδε πηγή-  
μα. Hic rhodus, hic saltus. Directè,  
categoricè, sine ambagibus, aut di-  
verticulis respondeatur.

Nu-



[*Nucleus Controversiarum.*]

**Q**uæstio certè ( inquit Augustin. lib. de Unit. Eccl. c. 2. ) inter nos versatur, ubi sit Ecclesia ? utrum apud nos, an apud Donatistas ? quæ utique una est , quam majores nostri Catholicam nominârunt : ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est ; secundum totum enim καθ' ὅλον græcè dicitur. Hæc autem Ecclesia Corpus Christi est. Unde utique manifestum est , eum qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse. - - Inter nos autem & Donatistas ( dicamus Calvinistas ) quæstio est , ubi sit hoc Corpus? id est, ubi sit Ecclesia? Hactenus S. Doctor.

Dum responsum isti concinnant, interea Romano-Catholici ex principiis ipsorummet Reformatorum exhibent απόδυξιν suam,

Veræ

## Veræ Ecclesiæ Demonstratio I.

**A** pud illos est Ecclesia , ubi major deprehenditur esse in præcipuis Fidei dogmatis . Vetere Ecclesia consensus , conformitas.

At apud modernos Romano-Catholicos major deprehenditur esse in præcipuis Fidei dogmati- cum Vetere Ecclesia consensus , & conformitas.

Apud modernos igitur Romano-Catholicos est Ecclesia.

Major est Reformatorum axioma. Minor patet è paradigmatis præpuorum articulorum : puta de Coena Domini , de Sacramentis, de Justificatione &c. de quibus suprà tractum fuit : in quibus mirificè con-

rant

BIBLIOTECA ASTRAL  
SIBIU

iu

si

-10

-11

-12

-82

-iq

Lei 15,50

